MENS DIVINITUS INSPIRATA SANCTISSIMO PATRI DOMINO NOSTRO INNOCENTIO PAPAE...

Francisco : de Macedo, Cornelis Jansen




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
18 E
16 M

MENS DIVINITVS INSPIRATA

SANCTISSIMO PATRI DOMINO NOSTRO

INNOCENTIO PAPÆ X.


Super Quinque Propositiones *Cornelij Iansenij.*

ET

Mens Diui Augustini illustrata de Duplici Adiutorio Gratiæ *Sine Quo non & Quo.*

Authore P. Fr. FRANCISCO A SANCTO AVGVSTINO MACEDO Franciscano Obseruante Prouinciæ Portugalliæ *Lusitano Conimbricensi, Magistro Artium & Theologiæ Professore, Christianissimorum Galliæ Regum Annæ Matris Regentis, & Ludouici XIV. Concionatore & Consiliario, & Serenissimi Lusitaniæ Regis* IOANNIS IV. *Historiographo Latino.*








LONDINI, & venundantur

PARISIIS,

Apud EDMVNDVM COVTEROT, viâ Iacobæâ, sub signo Boni Pastoris.

M. DC. LIV.





Epistola Dedicatoria.

EMINENTISSIMO DOMINO,
DOMINO
FRANCISCO BARBERINO
S. R. E Cardinali.



Vod Magnus de se olim solitus dicere Athanasius, postquam Magnum Antonium Puer cognôsset Beatum sibi se ipsum videri cum recordaretur Antonii: *id ego ex quo te, Parisiis Senex vidi, frequenter usurpo. Et vero si qui Beatus est, eum Divino conspectu frui & summá voluptate perfundi necesse est: oportebat Athanasium cùm recordaretur Antonij, Divinam quandam sibi imaginem proponere, in quam*

cùm intueretur, incredibilem capere animo voluptatem. Utrunque mihi cùm te, Eminentiſſime Domine, *in memoriam revoco, oportet contingere: ut & Divina quædam ſpecies menti occurrat, & illius aſpectus magnopere me delectet.*

Debeo, Eminentiſſime Cardinalis, *virtutibus tuis, ut cùm nemo de fide Athanaſij dubitet, de mea quoque nemo poſſit ambigere. Tot enim tamque præclaræ dotes ſunt tuæ, ut qui eas probè cognitas perſpectaſque habeat, verum me dixiſſe comperiat. Nam ſi non aliis in animo noſtro coloribus Dei imago quàm dotium virtutumque exprimitur, his tu eam ad vivum non exprimis in te ſolùm, ſed intus etiam expreſſam per ſigna foras prodeuntia oculis noſtris repræſentas. Quam tibi acre, acutumque ingenium! Vis quanta & ſubtilitas mentis! Quod pondus, maturitaſque judicij? Quàm gravia excocta que conſilia! Quàm exacta profundaque prudentia! Quàm celſa & in ſpecula mentis conſtituta providentia! Quànta perſpicacia! Quæ circumſpectio! Quæ & quàm accurata conſideratio! Quàm ſublimes, quàm puræ, quàm defæcatæ cogitationes! Annon hæc ſunt è ſuprema illâ ac immortali Luce lumina deciſa?*

quæ

quæ oculis noſtris objecta mentes erudiunt, Divinum eſſe Solem, à quo hi clariſsimi radij proficiſcantur? Quid? Indoles generoſa, & præſtans: rurſum que cerea & mitis? Quid animus excelſus & conſtans: ac rurſum moderatus & facilis? Quid Humanitas cum dignitate: quid dignitas cum humanitate conjuncta? Quid benignitas cum ſeveritate: quid ſeveritas cum benignitate copulata? Quid cum magnanimitate temperatio: quid cum temperatione magnanimitas connexa? Quid diſtantes diſsitæq; virtutes in te tam arctæ neceſsitudinis vinculo colligatæ? Nonne oſtendunt Harmoniam illam, non niſi ab eo qui in Orbis molitione diſſimiles diſcordesque naturas inter ſe mirabili nexu vinxit, eſſe perfectam?

Et quidem hæc cum ſupra Humanum habitum fuerint, oportuit ut in altiſſimo loco extra mortales limites poſita eminerent. Divino conſilio providit Deus, ut Summi Pontificis Sanctiſſimi P. N. Vrbani VIII. Patrui tui, Dei in terris Vicarij vicem tu Eminentiſſime Cardinalis *gereres: ac ejus nomine Eccleſiaſtica adminiſtrares: ac Romanæ Eccleſiæ Capitis Collum eſſes collatis humeris, quibus illa, tanquam Atlantæis, niteretur. Tam prope Numen fuiſti, ut cum Vrbano ſæpe intra*

ſacrarium fores, ac quæ ille inſtar mentis à Spiritu Sancto acciperet, tu inſtar Brachij præſtares: ac Divina ſæpe oracula Sibyllinis veluti Foliis inſcripta nobis traderes, & voce aliquando dictares. Magni certè Conſilij Angelum agebas, ac leges hominibus ſacras imperatas à Dei Vicario injungebas. Imo unus Trium illorum Principum Spirituum munera obiiſti : Michaelis *Eccleſiam propugnando,* Gabrielis *Dei monita præceptaque nuntiando,* Raphaelis *Charitatis opera exercendo. Vigilantiâ, induſtriâ, fortitudine tutam à vi, ab incurſu hoſtium Eccleſiam reddidiſti. Legibus, ſtatutis, conſiliis, documentis Fidelium mores ad virtutem formaſti. Miſericordiâ, largitate, donis, eleemoſynis miſeros recreaſti: In tuenda Eccleſia Magnanimus : in erudienda Sapiens: in fovenda Pius. Omne tu ſolus Theatrum virtutis implebas: & omnes dotium rationes explicabas. Qui unius à te ſpecimen virtutis editum videret, ad illam te natum exiſtimaret; ſed cùm alterius par exemplum cerneret, putaret ad te illas natas fuiſſe, ac per omnes iterum oculos circumferens & omnium à te exempla profecta intuens natas tecum omnes arbitraretur. Religionis æque Aſſertor : ac juris vindex.*

Sacro-

Sacrorum Observator: Injuriarum Depulsor: Calumniarum extinctor: Miseriarum Sublevator. In quo habitabant virtutes, is propè quidem à vitiis esse non potuit. Ac ne illa quidem nosti, nisi cum sensisti, in aliis legibus esse frenanda. Inter te ultorem & misericordem interrat, quòd scelera vix præter publica noveras: miser as privatas, & occultas sciebas. Sontes oblatos puniebas: Miseros investigabas ipse, & latentes eruebas. Nemo te scelestus vicinum: Nemo te miser remotum habebat. Quis Pupillus vix dum amisso Patre, substitutum te sibi Patris loco non credidit? Quæ virguncula inops, pudicitiæ timuit suæ, cui tu largitate tuâ periculum metum que non ademeris? Quæ vidua pauper Marito amisso, non tuo est solatio, opibusque sublevata? Quis egenus tecto exclusus sub dio jacuit, quem tuæ Purpuræ sinus non texerit? Quis saucius, ac ex vulnere ægra membra vix colligens, non te sibi porrigentem manum, fomenta adhibentem, hiantia vulnera claudentem osculis, & infuso spiritu inhalantem animum, non est expertus? Quis egenus morbo affectus in angulo gemuit, ad cujus tu gemitum præteriens currum in medio ferventem cursu non detorseris, & cùm ardentibus

præ-

præ celeritate vehementioris impetûs rotis: non accenſum modo charitate pectus, ſed & igneum ex rapido motu currum fumantibus equis ad decumbentem attuliſſes, non eum ſublevari foverique juſſeris; ac ſæpè exceptum brachiis mollioribus plumâ in currum acceperis, domumque diligentiùs curandum tuam deportâris? Quoties tu moribundis aſtare: ſolari, recreare eos, & expirantibus incubare, & effuſo pectore cor impendere, ac velle incitatis pulſibus vitales iis ſpiritus præbere, & admoto ore halitum tuum infundere, & cum reddita anima vitam inſpirare? Una & privata tibi erat vita, ſed communem Charitas fecerat. Suffecitque omnibus una. *Uti omnes te amabant, & amando animos tibi ſuos tradiderant, ita tu acceptos in eoſdem quodam quaſi jure refundebas. Auream ferreis temporibus Romam reddidiſti, non marmoream, quemadmodum* Auguſtus, *ſed ceream ad omnium exempla virtutum, ad concipiendum Divinæ Charitatis ignem reliquiſti. Debet hoc tibi Roma Chriſtiana, ut veteris illius miracula ficta virtutum, vacua laudis, fuci non ſucci plena, inani ſpecie commendata, vera & ſolida in te per Fidem & Charitatem expreſſa videret: adeo ut cùm impleres meriti ad*

fructum

fructum, nihil magnitudinis deeſſet ad miraculum. Ita in Eccleſia quæ Scala Jacob eſt verſabare, ut per eam ad Deum aſcenderes, ac per eandem ad Homines deſcenderes: nunc in ſummo cum Deo conſiſteres, nunc in imo Pauperi adhæreres: nec tamen unquam Angelum exueres.

Urbano Sanctiſſimo Patre, in Cælum recepto, qui Apis inter Flores fueras, inter ſpinas verſari cæpiſti. Paulùm conflictatus adverſis: ſed intra lilia ſpinæ fuerunt. Nempè in Gallia ubi lilia florent, inter quæ Paſcitur Cœleſtis Agnus. Hæc te vnientem totâ expanſâ Regiâ veſte in floreum ſinum recepit: Barberinis jam Apibus aſſuetum. Leviſſimè te adverſa pupugerunt: ſed pupugerunt tamen. Nam ſi ea tanquam Ignes probant: & ſpectatur in ignibus Aurum. Iis tu cùm Barberinæ Domus Barbaricum Aurum eſſes, ſpectari ignibus debuiſti. Non qui te, cùm fæces non eſſent, purgarent, ſed probarent. Si apud Hieronymum diſertus ad virg. in Exil. rectè dixit: Diu eſſe felicem, & ſine morbo animi tranſire vitam, eſt ignorare naturæ rerum alteram partẽ; æquũ non erat, ut tu qui integer vitæ eras vitæ partem alterã ignorares: ac nobis ſolidæ virtutis tuæ ſpeculo indi-

gentibus dimidiā Virtutis faciem exhiberes. Sed non diu Roma carere te potuit. Innocentij Summi Pontificis Dom. Noſtri Columba Apim vocavit, ad favos in Olivæ trunco fabricandos. Altius celſiſſimæ illius mentis in ſuperum confinio verſantis conſilium erat. Te adhibito, Pamphyliam Domum cum Barberina copulare ſacro & puro, quod Eccleſiæ cum Chriſto Unionis ſymbolum eſt, vinculo Matrimonij. Felices Nuptiæ oleo ab oliva Innocentij expreſſo ritè conſecratæ: & melle à Barberinis Apibus confecto aptè conditæ! Quarum Fructus novellæ Olivarum in circuitu Menſæ *Domini. Ecce in Petra Romana ſub Innocentio* Mel de Petra Oleumque de Saxo. *Erit profectò, erit* Hic Lapis in teſtimonium *Concordiæ inter Pamphyliam & Barberinam Domum ad perpetuam Firmitatem. Hoc nexu Pamphylia Familia, adſcitâ Barberinâ, omnes Amore complexa, Amorem omnium collegit. Hoc modo omnes ſecum, ſe cum omnibus nodo ſtrinxit. Hujus Sacri Hymenæi* Innocentius *Author: Tu* Franciſce Eminentiſſime *Paranymphus extitiſti. Vidit Roma Hymenæos ſeros citra nuces: ſplendidos ultra tædas: & intra*

ſtellas.

ſtellas. Tanta Hujus lux fuit, ut ad Purpuram præluxerit. En aliud in Barberina Domo cum ipſa Romana Eccleſia Conjugium Purpuratum. Duo Adoleſcentes Barberini duas Romæ duxere Virgines: Alter virginem Pamphyliam Innocentij Neptim: Alter Virginem Chriſti Eccleſiam Pamphylij Innocentij Filiam. Vt norint Fideles primum illud Matrimonium, non è re modo privata, ſed è publica etiam & Romana fore: & quicquid à te Eminentiſſime Cardinalis inſtituitur, ſuſcipitur, adminiſtratur ad Eccleſiæ utilitatem pertinere. Erit cum illa tibi ſponſa, jam hodiè, opinor, omnium, vel occultis etiam deſtinata votis, obtingat: & non ſuſceptos ſolum Filios conſervet, ſed novos quoque ſuſcipiat, & in Chriſto gignat, & tuis, ſuisque fæcunda virtutibus ita adoleſcat, ut per totam hanc Orbis univerſitatem quàm longiſſimè propagetur.

Hæc mihi cogitanti, & vetera quædam mea in Barberinam Domum obſequia repetenti, cùm Anno MDCXLI. Apes & Lyram Barberinam carmine, Elogium & Panegyricum proſâ Summo Pontifici Vrbano compoſui, ac tuam in me benevolentiam, Eminentiſſime Cardinalis,

 Pariſiis

Pariſiis exhibitam recolenti, viſum eſt hoc opus ſuper Conſtitutione Sanctiſsimi Patris *Noſtri Innocentij recens editâ adverſus quinque* Propoſitiones *in libro Janſenij contentas à me piè ac opportunè ſuſceptum nomini tuo conſecrare. Quæ ſanè Conſtitutio Divinitùs Innocentio dictata videtur: eo ipſo quo de neceſsitudine cum Domo Barberina cogitabat tempore: ut non minus ſanguine cum Urbani VIII.cognatione jungeretur, quam ſententiâ cum ejus mente conſentiret. Quam enim Cenſuram de Janſenij Doctrina Urbanus inchoaverat, Innocentius Pontifex abſolvit. Decebat vero, ut qui Primi Decreti particeps & aſſertor fueras, hujus quoque conſors ac defenſor, Eminentiſsime Cardinalis, exiſteres. Et quidem illa Domus* Pamphyliæ *cum Barberina (vinculo ſanguinis) conjunctio, hujus cùm Arbitrij libertate Gratiæ (Conſtitutionis interventu) concordiæ ſymbolum fuit. Sic enim libertas Arbitrij noſtri ſtabilita contra Lutheranos & Calvinianos, ut Efficacia Gratiæ adverſus Socinianos, & Arminianos & Remonſtrantes, omnino tradita & confirmata ſit. Ac utrunq; ſecundùm Apoſtolicum & Auguſtinianum ſenſum definitum. Ea vero Cauſa fuit Con-*

ſtitutio-

ſtitutionem iſtam commendandi ac illuſtrandi, quod cùm in Anglia inter eos Hæreticos verſer, qui è diametro, ut aiunt, oppoſiti ſunt, & quidam doleant, quod, libertas ſtatuatur: quidam exultent quaſi Gratia dejiciatur, neceſſe fuit utroſque in officio continere, monſtrando hac Cenſura nec augeri plus juſto liberi Arbitrij poteſtatem, nec imminui Gratiæ dignitatem, ſed ſuum utriq; tribui: ut neq; Gratia inferat, nec Voluntas patiatur neceſſitatem. Hujus autem Concordiæ quòd Romanus Pontifex *Author, ad te Eminentiſſime Cardinalis, qui cum eo es conjunctiſſimus, defenſio, pertinere* Pontificio *jure videtur: quòd ego aſſertor ac celebrator, qui olim Societatis JESV, hodie Seraphici Ordinis, (quarum alteram & amas & colis: alteram foves & tueris) Alumnus ſum,* Patrocinium *Amoris ſtudio & juris officio ſuſcipere debes.*

Et quoniam libertas Arbitrij damnatis hiſce Janſenij ſententiis adverſus Lutheranos, & Calvinianos ab Innocentio Domino Noſtro Papa Perſpicuè *aſſerta, & confirmata: Gratiæ autem Efficacia retenta magis & conſervata cum Catholicis, quàm contra Arminianos*

& Remonstrantibus defensa, & vindicata ex ipso tenore Pontificiæ Constitutionis ostendo, nec additum quidquam contra Gratiam libertati, nec detractum Gratiæ propter libertatem: ut nec illi calumniari censuram specie doloris ex injuria Gratiæ: nec hi insultare Gratiæ prætextu gaudij ex liberato à necessitate Arbitrio possint. Ac eam ego probandi rationem inij, ut cum me Arminiani (quem putant Gratiæ dignitati & virtuti favere) tam libenter amplecti doctrinam de libertate Arbitrij comperissent, sibi persuaderent me nullarum partium esse, sed uni veritati addictum: & uti de dignitate & efficacia Gratiæ sentirem, ita omnino esse sentiendum. Cum præsertim Doctorem habeam Doctrinæ Augustinum, *& Protectorem operis* Barberinum. *Nemò non dicat Felicem*

Hoc si me duplex scribentem Nomen obumbret.

Hymen.



HYMEN.

PAMPHYLO-BARBERINUS.



Superis Hymenæe veni: Cœloque refige
Sidera: non alias capient connubia tædas.
Astra decent accensa thoros: ubi fœdera jungunt
Sancta Fides, & Casta venus: geminæque ligantur
Relligione Domus: quas celsa Tiara coronat
Pontificalis Apex: Par utraq; fulget honore
Altera Pamphylios hinc jactat in æthera fastos,
Hinc Barberinæ fert altera stemmata Gentis.
Vrget in amplexus Deus ignis ab ore Parentis,
Et Nati productus Amor: communis utrique
Spiritus: hic suadet thalamos, hic spirat Amores
Innocuos. Pacisque ferens Insigne, Columbæ

Vertitur

Vertitur in speciem, Tybrim super evolat undis,
Incubat, ut quondam Sacri Jordanis ad undas
Explicuit pennas, cælesti & Numine Lymphas
Imbuit, & totas distendit nectare ripas.
Et viridem rostro ramum prætendit Olivæ
Pacis amans, nexusque gerens, flammasq; jugales.
Adjiciens niveo candentia lilia Lecto,
Lilia quæ sponsus flagrat, queis pascitur Agnus:
His ternæ junguntur Apes, succosq; ministrant
Ambrosios, conduntque favos: nec rustica fingunt
Mella, sed urbanos referentia mella sapores.
Quæ Barberinus semper tulit Alveus urbi.
Jamque sonant clari Tiberino in flumine bombi.
Qui sponsos in jura vocent, in fædera Lecti:
Hos Barberinus juvenis prior audiit, illum
Excibat sonitus propior: volat impiger, ardor
Excitat: in pectus direxit tela Cupido,
Pura quidem, & casto quæ cuderat igne pudoris.
Sed tamen urget Amor, quis enim moderetur Amori?
Fervet cuncta domus: gratus Labor occupat omnes
Et stimulat: se quisq; acuit: sibi displicet ille
Qui vacat: ante omnes Juvenis se comparat, curo
Fulgidus & gemmis; gemmas, sed vincit & aurum.
Momento stetit in tædas, thalamosque paratus.

Tardiùs

Tardiùs audivit sonitum pulcherrima virgo
Pamphylia, & puduit bombos audire sonantes,
Et damnavit Apes: tunc primùm visa Parenti
Difficilis traxisse moras: ac sæpe vocantem
Sprevit, & iratæ vocem se audisse negavit.
Debita virgineo fuit hæc mora visa pudori.
Sed vis major agit: summiq; invicta Parentis
Relligio: subit Alma Fides: sanctiq; recursat
Cura thori, duplicisque movet concordia gentis,
Grata urbi, jucunda Polo: qua nixa Tiaræ
Majestas superet Romani nominis hostes.
Vincitur his animus: fit sponsa è Virgine Ternæ
Deducunt Charites: pulchræ Venus aurea formæ
Invidet: hanc melior cuperet pro Matre Cupido:
Stat capiti crinale decus, nodatur in auro
Cæsaries, vivax inerat sed crinibus aurum
Aurea fila nives circumfunduntur in orbem
Candidulæ Frontis: nitet hæc ceu pumice lævis
Reddita: & innato superat candore ligustra.
In que superciliis geminantur Cornua lunæ,
Cornua crinitos quæ cùm sinuantur in Arcus
Spicula contorquent, quæ cæcus Amore Cupido
Expetat in pharetram, quò certius inferat ictum
Cordibus. Ex oculis geminus Sol emicat: unus

Haud ſatis eſt oculis: minus uni luminis eſſet,
Spargere ſi vellet ſua lumina ſolus in ambos.
Tantus utroq; nitor: totidem duo lumina ſoles
Depoſcunt, mirere unâ quod Virgine Cœlum
Sit minus; huic etenim Sol ſufficit unus, & una
Luna: ſed Egregia pro Virgine non ſatis unus
Sol; non una ſatis Luna *eſt; geminantur utriq;,*
Et præſtare Polo duplicatâ Luce fatentur.
P*artiturque genis formoſo limite naſus*
Purpureos campos, ubi germina viva Roſarum
Primo flore rubent: animantur labra Pyropis,
Dentibus albet Ebur: Triplex Dea viſitur ore
Pallas, Juno, Venus: queis addita quarta Diana.
Quatuor una inter certamina tolleret Idæ
Et totum auferret Paridem: nec Numina contra
Objicerent formas: quantum Latonia Nymphas
Exuperat, tantum illa Deas ſupereminet omnes.
Hâc ſpecie tecto egreditur: currumque fatigat
Pondere formoſo: vehitur ſpectanda per urbem
More triumphali; faciem ſenſere ſedentis
Alipedes, ſic colla levant, ſic vertice celſo
Incedunt, quatiuntque jubas, greſſuſq; ſuperbos
Agglomerant: flatuſq; vomunt. Roma excita fervet
Curribus innumeris: ſeſe undiq; fundere cernas

Et

Et complere vias: hærent jamq; axibus axes
Et juga mixta jugis : loris & lora: rotæq;
Impediere rotas: tantoque Auriga tumultu
Quisq; suos vix novit equos : confundit habenas
Attonitus : nec se ipse regit: jucundus at ille
Error erat : brevior Roma est sibi visa, plateæ
Angustæ doluere premi, turbâque gementes
Sentires majore queri: spectacula vulgus
Grata putat: crescit populo plaudente tumultus.
Illo Roma die veteres damnasse Triumphos
Dicitur, antiquæ repetens insignia Laudis.
Omnis visa minor tunc est ea gloria, quanquam
Julius, Æmilius, Fabius, Magnusq; recurrat
Pompeius: reputatq; illud mirabile, formam
Virginis armata de Roma egisse Triumphum.
Quà vehitur rapit illa oculos & corda videntùm
Hinc Amor, hinc livor variis affectibus urgent
Pectora, femineas est invida flamma medullas:
Quod niteat stellas velut inter Luna minores
Inter præstantes facie, formaq; superbâs.
Haud minuit tamen illa decus; quin omnibus auxit
Invidiâ speciem, nam dum rubuère pudore,
Incensâ facie, vultûs rubor auxit honorem.
Iamq; adeò subeunt Petri memorabile Templum

Passibus æquatis Sponsusq́ & sponsa : videres
Ire duos, specieque pares, similesq; decore,
Vel geminos : errabat Amor, fratresq́; putabat
Naturá ridente dolum : sed fraude repertâ
Risit Amor magis, & discrimine sanguinis usus
Arctiùs innectens naturæ illusit, Amori,
Esse docens alias majora in fœdera vires.
Hîc Cœlestis erat sacras Hymenæus ad Aras
Purpureos inter Patres, rubrumque Senatum
Vincla tenens : quæ casta Fides & sancta recoxit
Relligio : dant Astra Faces : stant Flammea puris
Sideribus tontexta : nuces procul, & procul ignis
Idalius : Cestique dolus : crimen que Thalassi.
Sanctius hîc Numen mollique obnoxia furto
Fœdera : Ab Innocuo *quæ sunt celebranda Parente*
Qui reserat, clauditq; Polum. Venit ecce Columbâ
Cœlesti stipante Latus, quæ proxima Sedi
Semper Apostolicæ Divina oracula dictat
Pamphyliæ Gentis Decus ingens, & Pater Orbis
Christiadum, Numenque gerens : spirare vigorem
Arcanum, & cellsâ suspendere fronte videres
Sydera : miscetur vario modulamine Templum :
Spirat odor, redolent Thuris suffitibus Aræ.
Fit locus : accedunt Sponsi : pedibusque voluti

Ponti-

Pontificis, primùm sacris dant oscula Plantis
Testanturque hominis residere in pectore Numen.
Atq; Dei gestare vices: mox erigit ille,
Componitq; manus æterna in fædera sancti
Conjugij. Tum sanctus Amor descendit ab Astris
Conjungitq; animos, & pectora concutit alis.
Injiciens flammas, & cordibus implicat ignes.
Tollitur in Cœlum plausus: vox dissona cantu
Dulcior harmoniam dissolvit, & undiq; clamat
Fortunatus Hymen: repetitaque murmura reddunt
Rursus Hymen: geminatur Hymen, vox omnibus una est
Lætus Hymen. Qui Pamphyliæ felicibus Astris
Et Barberinæ conjunxit stemmata gentis.
Hos inter fremitusque virum, plaususq; faventum
Evolat in sacrum Divina Altare Columba
Et dextro veniens Cornu consedit, & inde
Vertitur ad sponsos, traxitq; hanc gutture vocem:
Ibitis in thalamos, Romamque augere licebit.



Purpura Barberina.



Quis Deus in Tyberim Conchylia detulit amnem?
Intulit & Tyrij munera Rubra maris?
Purpura non aliâs flagrantiùs arsit in ignes!
Muricis haud visus puriùs ire cruor!
Gloria Sarrani minus hîc minus emicat ostri,
Sanguine quo tingi Regia vestis amat.
Sic Barberinos decuit rubor auctus honores,
Purpuret ut flammâ nobiliore color.
Purpureis Juvenis Patribus rubet additus ille,
Qui Barberinæ Gloria Prima Domûs:
Ille Decus Gentis, cui Sancta Ecclesia cordi,
Qui Thalami consors Candidioris erit.
Proximus Urbano: *Patruisque simillimus esse*
Maluit: atque Patris *noluit ire viâ.*

Fortiùs

Fortiùs exemplo ſtimulabat Avunculus alter
Grandior: Inſubriæ Pontificalis Honos.
Qui Borromæis titulis Decus addidit Aræ,
Carolus Italicæ Gloria ſumma Togæ.
Nomine quem reddit juvenis, quem ſanguine tangit,
Exprimat ut vitæ religione decet:
Hunc igitur rubro voluit decorare Galero,
Qui ſupra Innocuus *fulminat aſtra* Pater.
Ille Pater, qui Pamphyliæ de ſtemmate gentis
In Barberinos intulit Arma favos.
Ille Pater. lenem qui melle perunxit olivam,
Inter & Urbanas lilia pavit Apes.
Qui ſibi delegit puram & ſine felle Columbam,
Cui pudor & mores cui ſine fraude placent.
Huic igitur juvenem, cui lilia caſta voluptas,
P*urpureis placuit condecorare Roſis.*
Non quas Vana Venus maculoſo ſanguine tinxit,
Laſcivum doluit cum malè puncta pedem
Sed quas P*urpureus Sancti cruor extulit Agni:*
Cui Roſa de quino vulnere quina venit.
S*anguine quo naſcens deſponſa Eccleſia Chriſto;*
Hoc pretio Sponſo conſtitit illa ſuo.
P*unxit atrox gelidum cum Lancea pectus, & uno*
P*roſiliit mixtus flumine ſanguis aquæ.*

Purpura Barberina.

Hoc dotale Fides Romæ sibi vendicat ostrum:
Induit hæc sacros Purpura pura Patres.
Nititur hoc firmo, ceu Cardine, Roma Senatu,
Eque illo ductum Cardine nomen habet.
Hæc Barberinæ debetur Gloria genti:
Quæ fuit Augustæ firma Columna Domus.
Huic Pater Urbanus Caput addidit, & nova junxit
Robora: cum gemino cardine vinxit opus.
Hinc Franciscus *agens,* Antonius *inde Columnas,*
Romanum pariter sustinuêre Decus.
Tyndaridum similes geminarunt sydera Romæ:
Pulchrior hæc Helenâ candidiorque fuit.
Ut formosa magis, fato & meliore niteret
Applicuit Sydus nobilis Anna suum.
Anna Columnarum dotalia contulit Astra
Quæ sunt Italici lumina prima Poli,
Seu niteat splendore Togæ, seu fulminet Armis,
Palladis illa decus, Martis & illa decus.
Nata domus Palmis, laurisque âssueta, Columnis
Imposuit victrix digna Trophæa suis.
Jus sibi Purpurei de sanguine duxit honoris
Carolus, à duplici nomine venit honos.
Quinetiam meruit propriis virtutibus ostrum,
Pro titulis virtus nam satis una foret.

Qui

Qui Candor? Qualis Pietas! Quæ cura Pudoris!
Quantus inest niveæ Religionis Amor!
Ingenio mitis: bonus indole: cereus usu:
Perfugium miseris, subsidiumque reis.
Iuris amans, scelerisq; insons, & cultor honesti:
Qui facilis cunctis, qui sciat esse gravis.
H*uic sua Mercurij prætenderet Astra Galerus,*
At non sunt juvenis Sydera digna comis.
Traderet huic plexam stellis Ariadna Coronam,
Vertice sed tanto visa Corona minor.
Quin daret huic Phæbus radios, vel Cynthia crines:
Frater at est impar ille, vel illa Soror.
Iuppiter ipse daret, queis dextera purpurat ignes;
Despicit hos, quoniam Fulminis horror inest.
Sola placet Christi quæ sanguine tincta rubescit
Purpura: quam sancto flamine flammat Amor.
Quæ diffusa sinus gremio complectitur omnes,
Donat & effundens Viscera cordis opes.
Hac tegitur Romana Fides, crescitq; sub umbra:
Hoc tegitur clypeo Religionis Apex.
His summã Urbanus tenuit Pater artibus Arcem,
His Borromæus sydera celsa Pater:
His Franciscus agens alta ad Capitolia currus
Designat meritis munus utrunque suis.

Scilicet ille Orbi charus Franciscus : Olympi
Deliciæ, Romæ Cura, Tonantis Amor.
His etiam præstans Antonius Astra subibit :
Nec Patruo, tanto Fratre nec ille minor.
Hos sequere, atq; aliâ venientes parte Columnas,
Nobilis hæc multo purpurat igne Domus.
Hos tua virtutum referet splendoribus omnes
Purpura : cui texunt singula fila faces.
Sydera summa tene : non te via lactea ducet :
Purpureâ poteris certiùs ire viâ.
Auri Barbarici ceu Gloria fulsit in orbe,
Sic Barberinum Purpurat Urbe Decus
Dum festivus Hymen fratri modulatur Apollo :
Barberina tibi Purpura Carmen erit.

Lectori



Lectori Benevolo.

Irari ſæpe ſoleo, quid ſit, quód cum veritas unam, eamque certam & conſtantem faciem habeat, tot tamque diverſas apud Scriptores formas induat, ut ne in plures quidem Protheus ſe verterit. Unde fit, ut dum eam quiſque fucatâ ſpecie objectam vult apprehendere, eludat manus, ac omninò evaneſcat. Et vero ea inconſtantia & varietas vitio noſtro contingit, qui affecto animo ad eam accedimus, et quo quiſque occupatur, eum illi affectum affingit : cujus nos culpæ, quæ haud mediocris eſt, larvâ pro veritate apprehenſâ, pænas luimus. Nec profuit veritati, Democriti Pu-

teo, claudini eoque deliteſcere; nam qui eam ibi quæſiere, cùm deſuper aquam deſpicerent, redditas facies ſuas intuentes, earum imagines, non aquas hauſerunt. Hinc hæreſes, ſectæ, diſſidia : & quæ ex iis exiſtunt factiones, odia, calumniæ. Illud mirandum: hoc dolendum, ac eò magis, quòd vix cuiquam liberum, Veritatem ſequi. Poſtquam enim in factiones ſtudia abierunt, nemo eſt, quin ad unam partium contrudatur, adeo ut qui nullarum ſit partium, & medium ſe velit gerere, omnium invidiam odiumque incurrat. Id mihi certè veritatem amanti, Lector, evenit : nam cùm ante annos quindecim indagandis Prædeſtinationis Gratiæque Myſteriis ſeriò me dediſſem, ad idque Auguſtinum Ducem adhibuiſſem : acceptà ab eo doctrinâ, mentem ejuſdem edito libro expoſui antequam novos Auguſtinianos, & eorum Antagoniſtas legiſſem. Auguſtinianum me eſſe clamavi : & nullarum partium ſtudiis addictum. At nihil ſanè profeci. Nam ortis & auctis ſuper Auguſtino Janſenij controverſiis, exagitari cæpi ab aliis, quòd in quibuſdam ab eo diſſentiam : ab aliis ideſt antagoniſtis, quòd

cum eo in nonnullis consentiam. Unde illi me Molinistam (sic vocant) hi me Jansenistam dixere. Summâ utrique injuriâ, nec enim ego tunc Jansenium legeram. Augustini me discipulum, & omnino Augustinianum profitebar. Nam in quibus aut cum Jansenio conveneram, aut à Jansenio discrepaveram, eâ fortè, ex diversa Augustini intelligentia contigerant. Posteà cùm examinari ejus Romæ librum audissem,& de eo, Authoreque damnando agi, rumores quidam essent, timui ne utroque damnato, damnari videretur ex parte ipsa Augustini doctrina. Nam cum non pauca in eo libro Augustini placita essent, si ex integro damnaretur liber, & proscriberetur Author,periculum erat,ne quædam sententiæ Augustini improbari viderentur. Illud meum tum judicium fuit : quæ propositiones in eo libro pravæ essent, eas damnari : libro & personæ parci oportere. Libro : ne evellendo zizania, eradicaretur simul & Triticum. Personæ : ne vir Episcopus Communionis Catholicæ , qui Summi Pontificis Romani subditus , & Romanæ Ecclesiæ

 Filius

Filius fuisset, librumque illum suum ejus judicio censuræque submisisset, Hæreticus declararetur. Id ego non modò officij, sed conscientiæ etiam esse duxi, quòd Hæreticus nisi contumax, esse quisquam non potest: præsertim cùm in mortuum, à quo vivo liber in Lucem emissus non esset, ferenda ea esset sententia. Opiniones aliquas damnari volui, in quibus ab eo me dissentire compereram: omnes quas Antagonistæ proscripserant, nolui, quòd multas Augustini esse probè scirem: & quòd ego eas ei adscripsissem. Hoc illi putant Jansenistam esse. Sed nunquam Dei Patrocinium Innocentiæ defuit. Effecit illud, ut Innocentij Sanctissimi Patris Domini Nostri lata sententia monstraret, innocens & justum meum illud judicium fuisse. Nam ille Divino (qui nunquam Apostolicæ deest Sedi) Spiritu afflatus Propositiones pravas damnavit, à libro & Persona interim abstinuit. Intuere Lector Divinam Providentiam ubi me Jansenistam putabant, ergo Pontificius eram. Oportet ergo, ut me absolvant, ne Pontificem condemnent. Cujus ego Constitutionem

nem, tanquam è Cælo lapſam, accepi & veneratus ſum. Et Fulmina in Janſenium miſſa, et *Lapſa Ancilia Cælo* video. Fulmina in Propoſitiones. Ancilia in Perſonam. Macte (da lector veniam) Innocenti Papæ. Romanus es. More Romano optimè noſti

Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos.

Quâ ſuperbus erat opinando *Janſenius*, debellatus : intorto Fulmine : quâ ſubjectus, protectus Clypeo. Unum quod ſupereſt Ancile mihi adverſus calumniam ſumam : et verſo carmine

Natus ego Patris parmâ protectus abibo.

Cæterùm ſcias Lector me provocari. In aciem prodeo, hâc Teſſera : Auguſtini. Clamo : Auguſtinianus ſum. Dicenti, *Janſenianus* es : reſpondeo : Auguſtinianus ſum. Si hoc nomine vapulare mereor : Vapulem. Scio veritatem Prædeſtinationis et Gratiæ ſecundum Eccleſiam, apud Auguſtinum eſſe. In

eo

eo inquiro. Tam ſum amans veritatis, ut propter eam Auguſtinum amem. Imo ne Deum quidem amarem, niſi veritas eſſet. *Mundanus Civis ſum*, ſi in mundo me quæras: noris: Ubi veritas ſit, ibi me fore. Non ego apud me vera fingo, ſed ad ea me effingo, nec veritates accerſo, ſed vocantibus reſpondeo. Nihil tam ex dictis Philoſophorum placet, quàm illud Ariſtotelæum *Amicus Plato, magis Amica veritas.* Aliis ornata veritas Amori eſt, aliis fucata. Mihi inornata & incompta: ne quid in veritate, præter ipſam, amem. Qui me Janſenianum dicit eſſe, Mentitur. Auguſtinianus ſum. Ante Janſenium ideſt Anno MDCXXXVIII. doctrinam Auguſtini in ſummam redegeram. Errores Janſenij nec tunc admiſi, & poſtea damnavi, & hodie anathematizo: nec Pſeudo-Auguſtinum induco. *S*i quis erit qui me, quòd libero ſim in veritate tuenda proponendaque judicio calumniis velit obruere, ſciat is malle me cum veritate in Crucem agi, quàm cum fuco in Solium evehi. Ad rem propiùs venio, Lector Benevole. Scias nullos mihi magis hæreticos

eſſe

esse infensos ex quo in hasce regiones veni, quàm Arminianos et Remonstrantes, quòd cum acutiores et versutiores cæteris sint, tegi et occultari maximè omnium, specie tuendæ libertatis, cupiunt: cùmque admittant communem quandam Gratiam supernaturalem ad omnes actus, etiam initium Fidei, putant se à Semipelagianis abhorrere, atque adeo ab hæresi esse alienos. Quos quia ego, diligenter inquirendo quam Gratiæ formam inveherent, comperi notham et adulterinam Gratiam pro vera germanaque obtrudere: nempe subditam et pedisequam voluntatis, quæ in eam dominetur, et secum flectat et trahat instar instrumenti versatili more rotati: quam *vertibilem* vocant, & personâ detracta prodidi, ac effeci, ne quem Catholicorum deciperent, imo ut ab omnibus noscerentur, ac vitarentur: suis me artibus, id est, thécnis & fraudibus circumvenire voluerunt. Et cùm viderent me Augustini studiosissimum; ac ejus se authoritate peti, ac premi, nec quòd in Lusitania ubi pu-

rissima ac nitidissima Fides, natus, et in Societate JESU sanctissima institutus essem, *Lutheranum*, aut *Calvinianum* me possent dicere, *Jansenianum* (quòd maximè nunc invidià nomen laborat) appellarunt: non quòd aut sibi persuaderent, alisvé id persuadere posse existimarent, sed ut me eà calumnià deterrerent à suscepto studio : suam hæresim impugnandi : quo metu magnopere percelluntur. Nacti vero hanc damnati *Jansenij* occasionem sustulerunt animos, et abusi intelligentiâ editæ Constitutionis, perinde ac illâ Gratiæ virtus et efficacia enervaretur, suaque ipsorum hæresis de *vertibili* ad imperium motumque Arbitrij Gratia statueretur, veram de Efficaci propriâ virtute Gratia doctrinam non solum improbarunt, sed etiam turpissimâ notâ hæréseos affecerunt. Id cùm et Catholici rectè de dignitate et virtute Gratiæ sententes, et quidam molliores hæretici ægrè ferrent, judicium hac in re meum magnopere desideràrunt, et cujus me

me Gratiæ Amatorem norant, vindicem habere voluerunt. Ac illi quidem incitaverunt currentem; nam id ego animo agitabam meo, qui eos vanâ exultantes lætitiâ compeſcere cupiebam, & honeſtam eos impugnandi (quam mihi deſtinaveram) ſuſcipiendæ Provinciæ occaſionem quærebam. Atque ut id exactiùs præſtarem accuratiſſimè Summi Pontificis Dom. N. Innocentij cenſuram expendi: ac non modò ſententias, ſed verba etiam ponderavi, ut monſtrarem, quam procul eſſet à mente Pontificis illa interpretatio Arminianorum: & appareret non minus hac Conſtitutione *Lutheranorum* & *Calvinianorum* de Servo Arbitrio errorem, quam *Arminianorum* & *Remonſtrantium* de ſerva Gratia hæreſim confutari. Et ne cui in mentem venire poſſet in *Janſenio* ullo modo periclitari Divinam Auguſtini doctrinam, quam Arminiani tacitè rodunt, & carpunt, oſtendi longiſſimè aberraſſe à mente Auguſtini *Janſenium*, ejuſq; Propoſitiones non magis ab Innocentio Romano

et Summo, quam ab Augustino Hipponensi Pontifice damnatum fuisse: ac id ex Augustini mente disertè exactéque monstravi. Atque ut tota ratio libertatis, & Gratiæ Augustiniana constaret (qui totius controversiæ cardo est) illius fontes aperire volui: qui duo apud Augustinum sunt, nempe duo Adjutoria Gratiæ quæ ille *Sine quo non* & *Quo* appellat, Scholastici *Sufficiens* & *Efficax*, quemadmodum libro de iisdem secundo dilucidè ostendo: nam iis perspectis ac exploratis elucebit utriusque Gratiæ distinctio, & Efficacis eximia & excellens virtus, quæ nullâ Arbitrio illatâ necessitate suam exerceat Efficacitatem: ut nec servum faciat Arbitrium, nec ipsa serviat Arbitrio: nec ab eo trusatili modo versetur, uti Arminiani volunt; quos omnino ab Augustinianæ, id est, Catholicæ & Apostolicæ Gratiæ sensu abhorrere palam faciam. Ac iis deinceps Romanæ quam maxime oderunt, Ecclesiæ et Augustini quem rodunt, nomine pro vindicanda Gratia bellum indico. Ac ne mirere, Lector

cur

cur Arminianos, hostes mihi certos propriosque designem, causas breviter, sed extra Prologum, afferre volo. Norit orbis quanto jure cum iis bellum suscipiam.



Effice Lector.

QUicunque aut Arminianus, aut Arminiano similis clam mihi allatrat, et obtrectat is

Augustini armis, Paulo Duce, & Auspice Christo

Audeat ut mecum claro decernere campo.

Et Vale.



Classicum Contra ARMINIUM.

CAno, & provoco Subtilissimum Hæreticum: Quòd Romani Pontificis. Quòd Augustini: Quôd Gratiæ acerrimus hostis sit. Mihi qui maximè Augustinianus, et esse, et videri volo hic debetur: cuperem ipse mihi bellator adesset, ut Par Parem deposcerem, et non Piscem, sed Anguem in eo peterem.

Verum

Egrediare aliquis gelidis ex ossibus hostis
Qui tuearis eum, meque experiaris in armis.

Certè nemo acutior Arminio Hæreticus fuit. Multo Pelagio versutior, Celestio cal-

callidior, Juliano cautior, Fausto subtilior, Cassiano tectior. Omnes Semipelagianos acumine, et astutiâ superavit: ut nisi Romanæ Ecclesiæ et Papæ apertus hostis foret, ægrè dignosci, et prodi ac extrahi è Latebris suis posset. Adeo ut ne ipsum quidem Pontificem aliorum more convitiis impetat, injuriis oneret, diris insectetur: sed captiosis & speciosis quibusdam ratiunculis ejus dignitati & authoritati detrahat, ut subruendó potius quàm impellendo Petram eruat, ac de ea Pontificem dejiciat: uti apparet ex *Publica ejus disputatione Thesi 21. & 22. adversus Romanum Pontificem & Romanam Ecclesiam propositis.

Eodem modo erga Augustinum se gerit. Nam cum eum propter contrariam suæ de Prædestinatione et Gratiæ doctrinam, Cane pejus et Angue oderit, studet nullum odium præ se ferre, sed arte comprimit et tegit: nè quis deprehendat. Itáque ejus AUTHORITATEM nunc extol-

extollit, nunc elevat; nunc firmat, nunc infringit: modò se illius patrocinio munit, modò nudat, & abjicit; interdum se cùm eo sentire affirmat, interdum negat. Laudat aliquando, sæpe vituperat, & secum pugnare contendit. His artibus Augustini fidem enervat, ne quis ei credere se ex integro audeat. Affero quosdam locos. In Responsf. ad articul. Art. 32. ex primis: & 8. & 10. ex secundis sequitur Augustinum. Deserit. a. 20. ex primis, & quæst. 5. ex novem: & Propos. 27. Collat. cum Junio. Statuit authoritatem Augustini in declarat. suæ sent. & in disput. publica non semel. Dejicit sæpe in Exam. Prædest. Perkins. in qua ss. Secunda responsio, inducto loco Pauli, quem aliter ac Augustinus accipit, opponit sibi: *At Augustinus ita explicuit?* ac respondet. *Non stamus illius authoritate.* Ibi subtiliùs et malevolentiùs agit, ubi Celestini Pontificis celeberrimum et præclarum de Augustini doctrina judicium, quo maxime ejus existimatio nititur, infirmat extenuando: perinde ac ejus mens non fuerit totam Augu-

ſtini de Gratia et Prædeſtinatione doctrinam confirmare, ſed paucas tantùm ſententias, atq; adeò exiguam ejus partem probare : ad idque abutitur iis verbis Celeſtini, *Profundiores vero difficilioresque partes occurrentium quæſtionum, quas latiùs pertractarunt qui hæreticis reſtiterunt: ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus aſtruere, quia ad confitendam Gratiam Dei cujus operi ac dignationi, nihil ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus, quicquid ſecundùm regulas Apoſtolicæ Sedis nos ſcripta docuerunt.* Atque id aſſumit ad probandum : Auguſtini de Prædeſtinatione gratuita ante prævíſa merita ſententiam ſequendam non eſſe, cùm ea contraria ſit Harmoniæ Confeſſionum Eccleſiarum Proteſtantium, nec cum Cathecíſmi Hiedelbergenſis & Leydenſis Academiæ; et Philippi Melancthonis, et Nicolai Hemmingij, et Lutheri melius ſentientis doctrina conſentiat ; quemadmodum latè oſtendit in Declarat. Sententiæ à ſſ. *Tertio quòd hæc doctrina.* Fol. 83. uſque ad 893. Ac ut nemo ſibi ſuisque Eccleſiis et Academiis Auguſtini contra docentis authoritatem opponeret

 eam

eam hac ratione infringit. *Neque vero hæc doctrina in Conciliis Hierosolymitano, Arausicano, quin imo nec in Milevitano Africæ quod contra Pelagium ejusque errores celebratum est, ventilata aut confirmata fuit, prout apparet ex articulis doctrinæ, qui in eo, contra Pelagium ejusque errores decreti sunt. Tantum verò abest, ut doctrina ipsius etiam Augustini de Prædestinatione, in illis Conciliis recepta sit, ut Celestinus Episcopus Romanus, qui illo tempore vivebat, ad Episcopos Galliæ scribens, & Pelagianorum doctrinas condemnans, in fine suarum literarum in hæc verba concludat. Profundiores vero quæstiones, &c.* Duæ hîc sunt Duplicis hujus hominis, aut Sinonis Artes: altera subtrahere perspicuas Augustini laudes, & partem Epistolæ Celestini quæ ejus doctrinam commendabat omnino præterire: altera convertere in Augustinum, quæ ambigue dicta illius authoritatem elevare poterant: ac illa de eo interpretari. Nam cur omisit illud secundum Epistolæ caput? *Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus: nec unquam hunc sinistræ suspi-*

cionis

cionis saltē rumor aspersit; quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam à meis *decessoribus haberetur*. Ac illud *Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, ut pote qui ubique cunctis & amori, fuerit & honori: unde resistendum talibus, quos malè crescere videmus?* Expressè hîc de Augustino loquitur; nec ejus tantum doctrinam probat, verùm & obloquentes comprimit, Iisque hæreseos notâm inurit, etsi Catholicos se mentirentur. Ut non modo Catholice sentiret, qui cum Augustino sentiret, verùm qui ab eo dissentiret eique oblatraret, eo etiam prætextu, quòd id solum amplecti vellet, quod à Romanis Pontificibus esset definitum, is certè erroris suspectus haberetur: quemadmodum ex 3. cap: constat. *Quia nonnulli, qui Catholico nomine gloriantur, damnatis autem hæreticorum sensibus seu pravitate seu imperitià demorantes, piissimis disputatoribus obviare præsumunt, & cum Pelagium atque Celestium anathematizare non dubitent; Magistris tamen nostris tanquam necessarium modum excesserint obloquuntur: eaque tantummodo sequi & probare profitentur, quæ sacratissi-*

 ma

ma Beati Apostoli Petri sedes contra inimicos Gratiæ Dei per ministerium Præsulum suorum sanxit & docuit. Negare poterit nemo hæc pro tuenda Augustini doctrinà dici, etiam, ubi *à multis dicitur modum excessisse*: nam illud *Magistris nostris* ad *Magistros Optimos* cap. 2. inter quos habitus fuit à Summis Pontificibus Augustinus, haud dubiè refertur: ac inde constat non bene audire eum qui Augustino, etiam in iis quæ exaggeratiùs dixit, obloquatur. Sed Arminius cùm vidisset, se hujus criminis reum esse, noluit ea commemorare, quibus damnari appareret: & ad alium obscurum & ambiguum locum confugit, ut ejus intepretationis tenebris se involveret: sed Celestini tamen fulmen non vitavit; imo & secundum meruit; quia non contentus obtrectare Augustino, abutitur verbis Celestini ad ejus authoritatem elevandam, cùm eam Celestinus maxime confirmare cupiebat.

Et quidem nec illa, quæ objicit Celestini verba de Augustino perspicuè loquuntur, cum præsertim *Magistri* nomine non utatur: nec ut de eo intelligenda sint, ejus

doctrinæ

doctrinæ de Prædestinatione gratuita & Gratiæ intima efficacique virtute, quicquam officiunt: cùm illæ profundiores quæstiones intercurrentes, longè diversæ sint ab iis quas Arminius designat: nam quæ ad illam rationem Prædestinationis & Efficacis Gratiæ pertinent capitales sunt, non obiter & in transcursu actæ, & sunt ab eodem Celestino in tenore Epistolæ haud dubiè Romanorum, quos ibi citat, Pontificum nomine definitæ. Quemadmodum à nobis latiùs & manifestiùs in nostro Hyperaspiste Augustini monstrabitur: ubi etiam quæ & cujusmodi sunt illæ partes intercurrentium quæstionum exponetur.

Sed id opportunè animadverto: vulpem hanc Arminij suâ se, quam superiniecerat, caudâ prodidisse, cum ad finem libri explicans locum Cap. 7. ad Romanos, contra mentem Augustini, multa ei convitia facit, & larvâ depositâ apertè insectatur. Nam in conclusione. ff. *Tertio* ait. *Ubi tuum acumen Augustine? Venia dicto. Bonus enim Philosophus, non semper est Philosophus,*

& quandoque bonus dormitat Homerus. Et paulò post. *Hæ mihi justissimæ videntur causæ sententiam Augustini repudiandi, & hîc ab Augustino dormiente ad Augustinum vigilantem appellandi.* O impudentiam! Sophisticè agis in Augustinum Philosophum, ô Armini, Summum illum olim Philosophum, modo Divinum eum Theologum dicere debuisses: at tu non sapis quæ Dei sunt. Somnias, & stertis cum illum dormitantem Homerum fingis, Certe in Augustino Melesiginem non invenias Apagesis cum Iliade malorum: et Odyssea errorum & fraudum. Illam tu Sinonis, hanc Ulyssis instar renovare potuisti. Dormiebat Arminius cum hæc scriberet de Augustino dormiente: Inter dormientes testes *infelicis Astutiæ* numerandus. Credam vigilantem dixisse: si probet Aquilam se dormientem meridie vidisse. Nullo jure ad Augustinum appellat, nec enim unquam legimus noctuas ad Aquilas provocasse.

Gratiæ adversari Arminium supervacaneum est dicere: cum nemo Augustinum insectetur, quin Christi Gratiæ hostis sit. Sed nul-

lus à Christo nato hæreticus subtiliùs hæresim excogitavit, tectiùs proposuit, cautiùs defendit. Nam etsi Prædestinationem ex præviso merito Fidei ponat, ut Fides fuerit ratio eligendi ab eo merito omnem Pelagianismi suspicionem excludit: negatque initium Fidij à natura esse, sed ei Gratiam adjungit, non comitantem solùm, sed & prævenientem; ita ut nec homo quicquam incipiat sine Gratia: nec sine Gratia operetur. Gratiam autem non legem atque doctrinam, quæ erat Pelagiana & falsa Gratia, sed veram illuminationem & inspirationem Spiritus sancti intelligit: quæ antecedat consensum & Gratiam comitantem. Idque tantâ asseveratione, ut nullum suspicioni locum relinquat. Quare dum veram Gratiam admittit ad omnes omnino actus necessariam, ad initium Fidei, Pelagianismum imo & Semipelagianismum videtur excludere & ita se ille contra utrunque errorem munit & sepit, ut ullam ægrè rimam admittat, per quam hæresis possit irrepere. Hoc profitetur in Declarat. suæ sent. Fol. *90.* &*96.* & *98.*et*99.* et in Responsf. ad Articul. Art. 4. Fol. 111. et Art. 8.

Fol. 116. & iter. Respons. ad posteriores Articulos. Art. 7. Fol. 140. et in disput. privat. Thesi 42. Fol. 311. et in Exam. Prædest. Perkinsianæ Fol. 523. et Fol. 591. et 593. et 606. Quin imo ut in tuto ponat suam sententiam, testatur se amplecti utranque Gratiam Sufficientem & Efficacem alteram ab altera distinctam: Sufficientem cum qua quis possit; Efficacem cum qua quis efficiat: ut illa sit quæ careat effectu, cum possit efficere si voluntas concurrat: hæc efficiat cooperante voluntate. Efficaciam vero collocat in quadam suasione morali certâ et opportuna, atque adeo à Deo prævisa tanquam ratione discernente Prædestinatos à Reprobis: à qua omnem vim necessitatis excludit: negat enim Gratiæ Efficaci vim necessitatem, & uti vocat *Irresistibilem* inesse, ne libertas evertatur. Eam quippe Efficaciam ponere se dicit, cum qua libertas possit consistere: & idcirco illam irresistibilem & necessitantem impressionem Gratiæ removere. Id perspicue tradit in Declarat. sent. Fol. 87. et Fol. 89. et in reponss. ad Art. poster. Art.

7. Fol.

7. Fol. 141. et in Exam. Prædest. Perkins Fol. 604. 605. et 606. et 609. Do locos duos expressos. Unus in Declar. sent. Fol. 98. *Liquidò apparet me in Gratiam injurium non esse, atque qui libero hominis, sicuti de me spargitur, arbitrio nimium tribuam. Tota enim controversia in eo solum est posita: Utrum Gratia Dei sit irresistibilis quædam vis? Hoc est: controversia non est de actionibus, aut operationibus quæ Gratiæ adscribi possunt, cujusmodi tam multas ego confiteor, atque inculco, quam quisquam unquam fecit alius, sed de modo solum operationis, utrum irresistibilis ea sit, necne? Quantum enim ad hoc juxta scripturas credo, quòd multi spiritui sancto resistunt & Gratiam oblatã repellunt*: Qua certè sententia nihil magis est Catholicum nec Romanum. Alter in Exam. Prædest. Perkins fol. 523. *Interna Spiritus Sancti suasio duplex est. Una sufficiens: Altera Efficax. Illa qua potest velle credere & converti cui adhibetur. Ista qua vult, credit; & convertitur cui accommodatur. Illa adhibetur Decreto Providentiæ cùm certâ præscientiâ fore ut rejiciatur à libero arbitrio hominis: ista ex decreto Prædestinationis ad-*

 ministra-

ministratur cum certa præscientia fore, ut re ipsâ velit credat, & convertatur ille cui accommodatur et adhibetur: propterea quod ita accommodatur, prout Deus novit congruum esse persuadendo & convertendo illum cui adhibetur. Hujus sententiæ authorem Augustinum facit. ibi. & fol. 604. ubi sic. *loca Augustini docent Gratiam Prædestinatis præparatam certò illorum corda movere, neque ab illis respui: propterea quod Deus ita suadeat, ut aptum illis novit & congruum quo persuadeantur. Et hanc ille vocat Gratiam Efficacem.*

Verum cum ista vulpe vulpinandum, ut est in Paræmia. Gratia hujusmodi quam admittit, non est aliâ quam communis in potestate Arbitrij relicta, ac ejus nutui obnoxia, atque adeo ejus instrumentum, qua pro libito utatur: & quæ à voluntate efficaciam sumat: nec à sufficiente nisi effectu distinguatur, et Efficax eb effectu sit: atque adeo *vertibilis & versatilis* à motu libero dominæ voluntatis appelletur. Huc enim omnia ejus argumenta recidunt: ideo enim negat esse

Irre-

Irresistibilem vim, ut *vertibile* instrumentum faciat. Primum in Exam. Prædest. Perkins. parte altera Fol. 591. vult ut homo Prædestinatus à Reprobo per communem Gratiam discernatur, etsi id conetur involucris distinctionum tegere: et specie libertatis defendere. Ibidem fol. 603. non vult distingui Gratiam Lapsi hominis à Gratia Integri: quanquam & hoc dissimulanter dicat. Fol. autem 604. ait *Arbitrium humanum esse accedente Gratiá in utranque partem flexile* et 605. posito concursu Efficacis Gratiæ quinque Donis constantis. *Non tollitur flexibilitas Arbitrij nostri aut electio nostra per concursum istorum quinque donorum, sed hoc efficitur per concursum quintuplicis Gratiæ Efficacis, ut Arbitrium quod suâ naturâ flexibile est in utramque partem & electio quæ inter duo liberè eligere potest, certo & infallibiliter ad id inclinet quò motio quintuplicis Gratiæ impellit*. Si autem inquiras unde moveatur aut impellatur? Ad *opportunitatem* quandam recurrit

& ad *præſcientiam Dei.* Ita Fol. 604. *ut aptum illis novit & congruum* idque repetit Fol. 605. ac tandem concludit, *Manet ſemper in poteſtate liberi arbitrij Gratiam datam rejicere, & ſubſequentem repudiare.* Et ſi enim Catholicè dicatur *poſſe voluntatem reſiſtere & obtemperare,* non ſequitur *Gratiam eſſe in poteſtate voluntatis:* nam illud ſignificat non tolli libertatem ad reſiſtendum in voluntate ſubdita Gratiæ: hoc ſignificat eſſe dominium voluntati in Gratiam, id enim eſt *manere in poteſtate voluntatis* id eſt, ad ejus arbitrium nutumque circumagi, & verſatili more truſatilique moveri, atque adeo voluntati ſubjici & ſervire. Quid ſibi autem voluerit Arminius hâc aſtutia, & fuco, patuit in examine Theſium Gomari, ubi aperte affirmat Deum propter fidem prævíſam homines elegiſſe, ita ut non eos eligeret ut credentes eſſent, ſed eos non niſi credentes eligeret, atque adeo Fides prævíſa fuerit Deo ratio eligendi: unde concludit Deum elegiſſe dignos, et quia digni erant. Multi inquit *vocati: pauci electi. Vocati indigni*
erant,

erant, ergo electi digni : At indigni quia rejiciebant vocantem, ergo digni non rejicientes, ſed credentes & in fide venientes ad nuptias paratas.

Quod autem ſubdolè Arminius, ingenuè fatentur Remonſtrantes qui omninò Gratiæ Adverſarij in Theſib. et Apologia. Præterea illa forma Gratiæ Arminianæ non poteſt cum doctrina Divi Pauli conſiſtere. Primùm : quia poſitâ illâ Gratiâ in poteſtate voluntatis indifferente ex ſe, neceſſarius eſt impulſus illius ut operatio incipiat & Gratia cooperetur voluntati : quod eſt tribuere initium operandi imo & rationem operandi Arbitrio, ſicut Adamo & Angelis contigit, & tunc verum non eſt dicere illud Pauli Philip. 2. 13. *Deus eſt qui operatur in nobis velle & operari* : & illud Rom. 9. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei*, cum homo ſit, qui arbitrio ſuo Gratiam in ſua poſitam poteſtate movet, ac cooperantem ex indifferente facit. Secundùm : quia illa Gratia cum ſit communis non habet, nec donat rationem diſcernendi, quæ eſt particularis & determinata,

minata, unde illud *Pauli* 1 Corinth. 4. omnino deficit. *Quis enim te discernit? nam* à Gratia non est discretio, quod communis sit, atque hâc ratione discretiva esse non potest. Confirmatur quia datâ æquali Gratiâ duobus hominibus, uno operante, & altero non operante, sequitur operantem discerni à non operante per voluntatem propriam non per Gratiam Dei: atque adeo se ipso discerni. Tertiùm; quia si illa voluntas operans, non accipit vim operandi à Gratia discernente, & movente antecedenter relinquitur homini ratio gloriandi in eo quod à Deo non accepit & non relinquitur locus illi sententiæ Pauli. Ibidem. *Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis?* Quæ certè satis sunt ad Arminianam illam Gratiæ formam repudiandam. Quam omnino Semipelagianam esse & ab Augustino impugnatam, imo & ab Innocentio hac ipsa quam exponimus Constitutione rejectam monstrabimus. Unum superest ut quando jam libertas voluntatis contra Lutheranos & Calvi-

Calvinianos, adde ſi velis & Janſenianos â vi neceſſitantis Gratiæ vindicata eſt: ita deinceps Gratiæ dignitas adverſus Socinianos, Arminianos, & Remonſtrantes à ſervitute dominantis arbitrij liberetur. Nam, uti ſummus vir Maldonatus, de hæreſibus ſibi extreme oppoſitis: *Recte* inquit, *Tertullianus dixit ſemper Chriſtum inter duos Hæreticos crucifigi*, in Matth. c. 3. n. 6.

Et quoniam (uti oſtendo) vindex libertatis Arbitrij Auguſtinus eſt: oportet ut idem dignitatis Gratiæ ſit aſſertor: ac ei utriuſque concordia, cujus præcipuus Author extitit debeatur. Faxit Deus ut Sanctiſſimus Dominus Noſter Papa Innocentius X. Provinciam hanc ſuſcipiat, & quemadmodum nunc iſtà Conſtitutione hoſtes libertatis opreſſit, ita deinde alterà adverſarios Gratiæ profliget. Quanti autem ad id momenti futura ſit Divina ſancti Auguſtini authoritas doceat Summi Pontificis CLEMENTIS VIII. in

Cauſa

Causa Gratiæ coram se agitanda ad Congregationem de Auxiliis missum decretum. Cujus hic formulam, uti *à Domino Le Bossu* relata, et à *P. Guilielmo Gibieuf* Congregationis Oratorij doctore Sorbonico in Lucem edita tomo de libertate Dei et Creaturæ subjicio.

Est autem hujusmodi.



QUAMVIS nemini nisi Deo, rationem reddere debeam mearum actionum; dicam tamen impræsentiarum, rationes propter quas adstringere statui, totam hanc disputationem, ad normam doctrinæ sancti Augustini de Gratia.

Prima est: quòd si teste Beato Prospero ferè initio libri contra Collatorem, viginti annorum spatio, acies Ecclesiæ ita dimicavit pro Gratià contra Pelagianos, ut tandem Augustino duce vicerit; oportet etiam ut in causa simili, eundem ducem agnos-

agnoscamus & sequamur. Secunda est: quòd idem Sanctus, nihil videtur prætermisisse, eorum quæ ad præsentes controversias pertinent: quandoquidem si agitur de necessitate Gratiæ; eam describit dicens, esse necesse ut nos præveniat, comitetur, & sequatur: si de vi, asserit vires efficacissimas præbere voluntati: si de effectu, testatur facere de nolente volentem. Si de modo, asserit Deum id facere omnipotentissimâ facilitate. Denique sic dissoluit objectiones, ut doceat liberum arbitrium non tantùm bene cum illa Gratia quam defendit, cohærere; sed etiam fieri liberius, quando ab illa fuerit liberatum. Tertia tandem ratio est: quòd cùm multi Pontifices Prædecessores nostri, doctrinæ S. Augustini de Gratia, tam acres fuerint assertores ac vindices, ut quasi hæreditario jure eam in Ecclesia relinqui voluerint, æquum non est ut patiar illam hac quasi hæreditate privari.

Sèque id nunquam passurum, asseveranter affirmavit: & ita mansit fixus in hac resolutione, ut in omnibus sequentibus di-

ſputationibus, ad ſingula penè dubia quæ proponebantur diſputanda, poſtularet: An articuli excerpti ex Molinæ doctrina, eſſent apud ſanctum Auguſtinum, aut ſecundùm doctrinam & mentem illius.



Bulla





Bulla Sanctissimi P.

NOSTRI INNOCENTII PAPÆ X.

INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

Universis Christi fidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem.



CUM occasione impressionis libri, cui titulus, *Augustinus Cornelij Jansenij Episcopi Iprensis*, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia super quinque ex illis; complures Galliarum Episcopi

apud nos instíterunt, ut easdem Propositiones nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam.

Tenor verò præfatarum Propositionum est prout sequitur.

PRIMA: Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires; sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

Secunda: Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

Tertia: Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

Quarta: Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: in & hoc erant hæretici, quòd vellent etiam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Quinta: Semipelagianum est dicere, Christum

ſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum noſtrum aſſiduè pulſant, illa in primis cordi eſt, ut Eccleſia Dei nobis ex Alto commiſſa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tutò militare, & tanquam navis in tranquillo mari, ſedatis omnium tempeſtatum fluctibus, ac procellis, ſecurè navigare, & ad optatum ſalutis portum pervenire poſſit

Pro rei gravitate, coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id ſpecialiter ſæpius congregatis, à pluribus in ſacra Theologia Magiſtris, eaſdem quinque Propoſitiones, ut ſuprà nobis oblatas, fecimus ſingillatim diligenter examinari, eorúmq; ſuffragia, tum voce, tum ſcripto relata maturè conſideravimus, eoſdémque Magiſtros, variis coram nobis actis Congregationibus, prolixè ſuper eiſdem, ac ſuper earum qualibet differentes audivimus.

Cùm autem ab initio hujuſmodi diſcuſſionis ad Divinum implorandum auxilium multorum Chriſti fidelium preces, tum

privatim, tum publicè ad id indixissemus, postdum iteratis eisdem feruentiùs, ac per nos sollicitè implorata sancti Spiritus assistentia, tandem Divino numine savente, ad infra-scriptam devenimus Declarationem, & Definitionem.

Primam prædictarum Propositionum: Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant: *temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Secundam: Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur: *hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Tertiam: Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione: *hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Quartam: Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos

gulos actus, etiam ad initium Fidei : & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare : *falsam & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Quintam : Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse; *falsam, temerariam, scandalosam* : & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat Prædestinatorum mortuus sit; *impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, nè de dictis Propositionibus sentire, prædicare aliter præsumant, quàm in hac præsenti nostra declaratione, & definitione continetur, sub censuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expressis.

Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, nec non hæreticæ pravitatis Inquisitori-

ſitoribus, ut contradictores, & rebelles quoſcumque per cenſuras, & pœnas prædictas, cæteráque juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachij ſæcularis, omnino coerceant, & compeſcant.

Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem ſuper prædictis quinque Propoſitionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libero *Cornelij Janſenij*. Datum Romæ apud S. *Mariam* Majorem, anno Incarnationis Dominicæ 1653. pridie Kal. Junij, Pontificatus noſtri anno nono.

Hi. Datarius.

G. Gualterius.

P. Ciampinus.

Anno

Anno à Nativitate D. N. JESU *Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, indictione sexta Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D.* INNOCENTII *divina Providentia Papæ X. anno nono, die verò nona mensis Junij, supradicta constitutio affixa, & publicata fuit in Ecclesiæ Lateranen. ac Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, nec non Cancellariæ Apostolicæ valvis, ac in acie Campi Floræ, per me Hieronymum Macellam, sanctissimi D. N. Papæ Cursorem.*

Pro D. Mag. Cursorum P. PAULUS DESIDERIUS Cursor.



ET quoniam hujus Bullæ Sacrosanctæ, Apostolicæ, Infallibili definitionibus, adjungimus Testimonia Augustini, cujus doctrina de Gratia Apostolica dicitur à Prospero Epist. ad August. volo eam Summorum Pontificum Elogiis nobilitare.

Innocentius I. Epist. XCVI.

Fraternitatis Vestræ Litteras pergrato suscepimus animo, quòd earum tenor, ejusque contextio est in consideratione quotidianæ Gratiæ Dei; & in eorum correctione qui contra sentiunt, integra ratione consistit, ut & illis omnem tollere possit errorem, & idoneum dato cuivis nostræ legis exemplo, quem sequi debeat, dignum possint præbere doctorem.

Cæle-

Cælestinus I. Epist. ad quosdam Galliarum Episcopos.

Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua, atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistræ saltem suspicionis rumor aspersit: quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus; ut inter Magistros optimos etiam à meis semper decessoribus haberetur.

Hormisdas Epist. ad Possess. 70.

De libero tamen Arbitrio & Gratia Dei, quid Romana, hoc est, Catholica sequatur, & asseveret Ecclesia, licet in variis libris B. Augustini, & maximè ad Hilarium & Prosperum possit cognosci: tamen in scriniis Ecclesiasticis expressa capitula continentur.

Joannes II. Epist. ad quosd. Senat.

Augustinus cujus doctrinam secundum Predecessorum meorum statuta Romana sequitur & servat Ecclesia.

Clemens VIII. Supra.

Augustini doctrinam Hæreditatem *Ecclesiæ appellavit.*

Bonifacius I. teste Prospero libro contra Collat. in fine.

Sanctæ memoriæ Papa, cùm esset Doctissimus, adversus libros tamen Pelagianorum Beati Augustini Episcopi responsa poscebat.







Quæſtio Unica,

De mente Summi Pontificis Innocentij circa Propoſitiones *JANSENII*.

ARTICULUS I.

Cauſa & Ratio Quæſtionis proponitur.



RArò aliàs in Eccleſia Catholica nobilior & gravior quàm his temporibus de doctrina *Janſenij* controverſia exſtitit; tum propter argumenti difficultatem, tum propter Autoris dignitatatem, tum propter ardentia ſtudia factionum, in quas non modò viri docti diſcordibus ſententiis, ſed diſciplinarum quoque rudes diſſentientibus animis abierunt: ut ſpectatâ cauſæ ac contentionis ſimili-

tudine celebris illa noni ſeculi orta ex Gotteſchalci & Joannis Erigenæ ſententiis controverſia renovata videatur. Sed in illa paribus prope armis certatũ; imò quæ pars oppugnabatur majoribus munita præſidiis longiùs à periculo fuit: ac in Carolo Calvo Rege & Nicolao Primo Aſylum invenit. At hæc *Janſeniana* à fortiſſimis & peritiſſimis oppugnata hoſtibus, defenſoribus penè nudata, ad extremum propè adducta diſcrimen foret, niſi ipſi hoſtes eam ad Pontificium Tribunal debilitatam afflictámque damnandi ſtudio impegiſſent. Et verò cùm in illo Spiritûs Sancti Numen reſideat, quod igneum eſt; ab eo ſic excocta ſunt utriuſque partis argumenta, ut quod in iis puræ ac putæ veritatis erat integrum, probatúmque maneret; quicquid verò fæcis ac ſordium inerat rejiceretur. Ac primùm Sanctiſſimus Pater Urbanus VIII Anno MDCXLI lato diplomate *Janſenii* leviter præſtrictâ doctrinâ, ac libri uſu interdicto compeſcuit potiùs late ſerpentem controverſiam, quàm ſuſtulit. Ea tamen, inſtar vulneris, tractatione refricati, acerbiùs recruduit: ſtudentibus *Janſenii* patronis eum ab hæreſeôs notâ vendicare; nitentibus contrà adverſariis illum hæreſeôs prorſus damnare. Duxerant hi è re ſuâ & Chriſtianâ librum illum Autorémque proſcribi; ac, utì multùm & exiſtimatione & gratiâ valent, ſúntque de totâ Chriſtianâ Republicâ optimè-meriti tantam *Janſenio* invidiam conciârunt, ut totum penè adverſùs eum Orbem Catholicum commoverent. Injecta divini-

divinitùs mens est sanctissimo Domino nostro Papæ Innocētio X ea de causa penitùs cognoscendi. Idoneū, quod è re erat, Concilium Eminentissimorum Cardinalium, gravissimorúmque virorum instituit: à quo cùm esset perspecta & explorata ad se deduceretur, ut suo illam judicio definiret. Variè hujusmodi Consilium hominum animos affecit; prout quisque aut amore, aut odio doctrinæ, aut studio aut malevolentiâ, invidiáve Autoris laborabat. Fateor eo me nuntio magnopere fuisse commotum; non tam vicem *Jansenij*, quàm *A*ugustini, cujus ille mentem in eo libro proposuerat, solicitus, nè fortè per corpus Autoris Mens peteretur. Et quanquam mihi persuasissimum esset Augustini doctrinam extra omne periculum esse, tamen cùm eum tenerrimè amarem, ac *A*mor, quòd nimis afficiat, mollem ad timores & suspiciones mali animum reddat, cæpi pro Augustino timere, & anxiè suspicari. Et quò illa longiùs agebantur, eò propior metus erat: Curis, molestiis, angoribus confectus, didici neminem Amore immaniorem in animos tyrannidem exercere. Mirabar me, cùm nihil unquam de Augustini doctrina malè suspicarer, ubi me occupâsset timor, suspiciones quoque invexisse, & unde me avocaret veritas, eò amorem contrudere. Causas suspicandi non in *A*ugustino, sed in me inveniebam; & quo ardentiùs amabam, eò vehementiùs timebam. Hoc profecit dolor, ut nimis à me *A*ugustinum amari cognôssem.

Cùm me diu timor anxium, expectatio erectum

tenuiſſet, accepi, Diploma à D. N. Beatiſſimo Innocentio expeditum Romæ adverſùs Janſenium fulmini ſimile fuiſſe. Et cùm hic rumor magnos animorum motus feciſſet, minùs (eſt enim *pejor bello timor ipſe belli*) me certè quàm antea timor perculſit: fortè, quòd callum dolendo vulneri obduxeram. Non dubito quòd intentus eram lectioni Auguſtini, à qua vix unquam avellor, ſub lauru adverſùs id fulminis me fuiſſe. Obfirmavi animum, & quamvis multa ſevera in eo aſperáque in Janſenium jacta inaudíſſem, quæ narrantes datâ operâ exaggerabant altiùs, nihilo magis ſum comm tus, quàm qui ad Nili oſtia, Catadupas, habitant, præcipitantis ſe è prærupto fluminis ſonitu commoventur. Et quidem mirum non erat me non Auguſtino timere: nam quî poſſet in divinis Spiritûs ſancti fornacibus cuſum fulmen Auguſtinum eodem igne flagrantem vel leviter perſtringere? & quo illa eadem tunduntur ac formantur malleo, is ab illis feriri: cùm contrà ſiquod intorquendum ſit ab Eccleſia in hoſtes ſuos vehementius fulmen, ab ipſis ſit Auguſtini armamentariis petendum. Illud quis jure miretur, nè Janſenio quidem magnopere timuiſſe? Perſuaſeram mihi non poſſe nimis errare eum, qui tam addictus Auguſtino, tam ejus lectioni deditus fuiſſet. Quòd ſi in nonnullis erráſſet (nam humanum id eſt) ea pauca fore: ac in ea tantùm fulmen intorquendum: Perſonam in tutum receptum iri: quòd Apoſtolica ſedes à Deo edocta, non homines, ſed vitia inſectetur: nec librum damnandum putabam, qui cùm plurimum haberet

beret frumenti, non erat propter adnata quædam zizania comburendus; nè simul periret & triticum. Cùm præsertim Jansenius Episcopus Romanæ Catholicæ communionis esset, séque ac librum suum Romani Pontificis judicio subjecisset; idque testamento, cujus summa & sancta fides est, omninò confirmâsset. His cogitationibus munitus, ac omnino Constitutioni Pontificiæ obedire paratus, integrum me ad illius inspiciendam formulam conservabam. Incidit illam videndi occasio: Deus immortalis! Obstupui cùm vidi tam ejus notam curis & votis meis respondisse. Agnovi in tantâ tempestate, diluvio quodam in Jansenium effuso, quo penè obrutus depressúsque videbatur, Innocentii X Columbam apparuisse, & Ramum Olivæ virentibus foliis, Pacis futuræ signum in ore prætulisse. Cúmque in Jansenii pratis sedisset, unguibus ac rostro spinas quinque evulsisse, iísque abjectis innocuam constitisse: nec in ejus personam quicquam durius statuisse. Tum verè Columbam agnovi, cùm vidi à mortuo abstinuisse: nec enim decebat, ut cadavere pasceretur, cùm id corvis tantùm licuisset. Et verò ex illa Arca Aráve Romana, non uti ex Arca Noë corvus, qui reperto cadaveri insideret, illúdque discerperet; sed Columba suavis ac mitis Spiritûs sancti symbolum prodire debebat, quæ citra cadaveris injuriam, vicinum pratum, spinis, in quas inciderat, repurgaret.

Cùm verò ad Propositiones quinque mentem & cogitationem convertissem, inveni summo illas jure proscriptas damnatásque fuisse: idque eâ formulâ

verborum, ut non aliter, nisi utì concepta erant, censeri damnaríque debuissent. Adeò non modò sententia; sed ipsa, quibus constabat verbis nota censoria, à Spiritu sancto dictata videbatur. Illud apud me statui; si nullum aliud argumentum esset credendi, Sedem Apostolicam Divini spiritûs Cortinam esse: ac summi Pontificis os ejusdem vocale organum existere: quòd certissima fidei fundat oracula: hanc sanè Constitutionem sanctissimi Patris Nostri Innocentii satis mihi ad faciendam fidem fore à spiritu sancto regi & illuminari. Nam cùm considerabam quanto studio impugnata fuisset doctrina penè tota Jansenii, ac omnes ejus Propositiones capitales improbatæ & proscriptæ; atque adeò, utì hæreticæ, Romanæ sedi, ut damnarentur, ab adversariis oblatæ, ídque tantâ vi, tantis argumentis, tantis precibus, tantâ gratiâ, tantâ potentiâ, tot artibus, tot minis, ut non modò liber, sed Auctor quoque ad damnationem, ad infamiam, ad ignem postularetur: sed ejus etiam sectatores & vindices dignitatibus spoliarentur, arcerentur; imò & qui in eum pii & misericordes esse volebant, eo nomine quòd in eum mitiùs statuerent, in invidiam vocarentur: ac videbam eò tot machinas, tot strepitus, tot motus accidisse, ut solæ quinque Propositiones innocuo (ex vi diplomatis) Autore, libróque damnatæ fuissent, non poteram non mihi persuadere apud Catholicam & Romanam sedem solius ac nudæ veritatis studium jurisque valere. Et quidem comperi quanti Augustini doctrina facienda esset, & quàm ea

Sedi

ſedi Apoſtolicæ probaretur: nam in eo libro, cui Auguſtinus erat nomen, ſolæ illæ Propoſitiones proſcriptæ fuerant, quas Auguſtinus ipſe proſcripſiſſet. Itaque Auguſtino iſtud ſummi Pontificis Innocentij X. tam ſum gratulatus judicium, ut illud æquipararem commendationi Innocentij I. Auguſtini, cùm viveret, doctrinam probantis; cùm Innocentij noſtri X. judicio ſit Auguſtinus à calumnia impoſiti ſibi erroris liberatus: nec minus beneficium ſit protegere doctrinam, quàm approbare. Neceſſe eſt igitur, ut Auguſtini doctrina pura & innocens haberi debeat, quam duo Innocentij Papæ aſſeruerunt & vindicârunt. Sed quoniam extrema pars diplomatis, quo profitetur Pontifex non intendere ſe per hanc Declarationem & Definitionem approbare alias opiniones eo libro contentas, videtur aliquam de ijs ſuſpicionem injicere, operæ pretium fuerit, ad calcem illa verba expendere, & germanum eorum ſenſum elicere, ac ex eo meam confirmare ſententiam: In hac conſtitutione & Formula Divini ſpiritûs in animos mentéſque Pontificum certiſſimos afflatus apparere.

Eò hæc veriùs ac incorruptiùs dico, quòd non ſolùm Româ procul, ſed *Londini* in Anglia inter hoſtes Romanæ Eccleſiæ & Romani Pontificis verſor: nec à Sede Romana quicquam aut habeo, aut habiturum me ſpero: tantùm ſtudio veritatis & *A*uguſtini, qui eam & amavit & coluit amore ductus, judicium de hujuſmodi conſtitutione fero. *A*d ferendum autem illud in *A*nglia, multorum me Ca-

tholicorum

tholicorum preces, & quorundam etiam hæreticorum ſtudia moverunt. Ex quibus Catholici edocendi de veritate hujuſce conſtitutionis fuerunt, quòd rumor erat quoſdam *Janſenio* nimis addictos ei oblatrare, alios nimis alienos damnationem extendere & exaggerare: Hæretici autem, cùm partim *Lutherani* & *Calviniani* eſſent, qui propoſitiones illas damnatas ſuſtinebant; partim Arminiani & Sociniani, qui, quòd Semipelagiani ſunt, plures damnari volebant, Omnes verò Cenſuram Sedis Apoſtolicæ irridebant: Primi, quòd dicerent erraſſe, illas damnando; ſecundi, erraſſe, paucas damnando; monendi fuerunt de autoritate & veritate Pontificis, qui divino conſilio & illas quinque rectè damnaſſet, & nunc à reliquis prudenter abſtinuiſſet.

ARTIC.



ARTIC. II.

Producitur Prima Propositio; & nota illius Censoria expenditur.

ALiqua Dei Præcepta Hominibus justis volentibus & conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis Gratia quâ possibilia fiant.

Hanc tradit & affirmat *Jansenius* lib. 3. de Gratia Christi salvatoris. cap. 13. §. Hæc igitur. De illa ità censet Innocentius; *Temerariam, impiam, blasphemam, Anathemate damnatam, hæreticam declaramus, & utì talem, damnamus.* Optimè Innocentius. De Fide Censura est: nec opus est Fidei, rationibus: sed propter non credentes utar argumentis: &, quia *Jansenius* illam propositionem *Augustino* tribuit, non esse Augustini monstrabo, idque Augustini principiis. Deinde aliis idem argumentis conficiam.

Primùm. Autore *Augustino*, præcepta non sunt impossibilia, si adsit Gratia, quâ possibilia fiant. *Augustino* Autore justis volentibus & conantibus secundùm præsentes quas habent vires, adest Gratia

quâ possibilia fiant: ergò Autore Augustino: justis volentibus & conantibus, secundùm præsentes quas habent vires non sunt præcepta impossibilia. Justa demonstratio est, si major minórque probentur. Majorem concedit *Jansenius*, & probat esse *Augustini* hoc eodem locò: nec de illa dubitari potest: Minorem negat Iansenius: sed ea sic ostenditur adversus eundem ex Augustino. Hic docet: servari posse præcepta petitâ & obtentâ gratiâ, & ex ea acceptis viribus à *Deo*: sed justi volentes & conantes possunt eam gratiam & vires à Deo petere & obtinere; igitur possunt servare præcepta.

Quod est in Propositione tradit Augustinus disputans contra Pelagianos de modo quo mandata fiant possibilia; nam Pelagiani naturâ fieri volebant, & affirmabant Augustinum inducere impossibilitatem mandatorum: quibus ità respondet, non esse per solam naturam, & sine gratiâ possibilia; sed esse per gratiam à Deo petitam & obtentam ad movendam & juvandam naturam. Ità lib. de nat. & grat. c. 15. *Itaque præcepto facere commonemur, quod conantes & nostris viribus non valentes adjutorium divinum precemur* &c. c. 17. *Admonemur à Domino petere sapientiam, qui dat omnibus affluenter, utiquè his omnibus qui sic petunt, & tantùm petunt, quomodò, & quantùm res tanta petenda est.* & c 43. *Non Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis* & c.69. *Eo quippe ipso, quo firmissimè creditur Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid*

quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Eandem doctrinam tradit lib. de Grat. & lib. Arbit. c. 10. *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt: non juberet deus, quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? sed ideo jubet aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus.* Et lib. de perfect. just. Cœlestio interroganti & ingerenti; *Nam cur præciperetur, inquit, quod fieri omnino non posset?* Respondet Augustinus inductâ appositâ similitudine: *Consultissimè homini præcipi, ut rectis paßibus ambulet, ut cùm se non posse perspexerit, medicinam requirat.* Et lib. de spir. & lit. *Ideo Lex jubet, ut admoneat quid faciat Fides, ut cui jubetur si nondum potest, sciat quid petat.* Eandem perpetuò doctrinam tradit epist. 89. lib. 1. Retract. c. 13. in Psalm. 106. Serm. 3. de verb. Apost. c. 8. & Serm. 191. Et lib. 1. ad Simpl. q. 2. & aliis sexcentis locis, in quibus docet, rationem servandi præcepta sitam esse in Adjutorio Gratiæ, eámque petendam, & petendo impetrandam; impetratâ præcepta omnia servare posse. Quam doctrinam Augustini Concilium Tridentinum, cùm ab eodem spiritu, à quo Augustinus hauserat, accepisset, voluit eam iisdem omnino verbis quibus eam Augustinus conceperat tradere, & in dogma Fidei authoritate suâ vertere. Itaque Sess. 6. c. 11. *Deus,* inquit, *impoßibilia non jubet, sed jubendo monet & facere, quod poßis, & petere quod non poßis, & adjuvat ut poßis.* Non potest ergo negari à Jansenio propositio illa; Authorem esse Augustinum. *Præcepta petitâ & impetratâ Gra-*

tiâ posse servari; nec tantùm hanc esse Augustini sententiam; sed etiam doctrinam Catholicam Concilii Tridentini. Itaque jam illa de Fide est Propositio.

Pergo ad Assumptionem: *Justi volentes & conantes possunt eam Gratiam à Deo petere & obtinere.* Hæc est certissima: ac etiam Catholica: nam Fideles justi, de quibus sermo est, non noverunt solùm Gratiam & necessitatem ejus, sed eam quoque acceperunt, imo & in Gratia esse dicuntur, cùm justi appellantur. Præterea cùm volentes & conantes dicuntur, non nisi per Gratiam volunt, & conantur, uti definit Concil. Arausican. II. c. 5. & 6. Nam oppositum Semipelagianum est, ut contra ipsos demonstrat ipse Jansenius lib. 8. de hæresi Pelagiana c. 5. docens ex Hilario & Augustino, & Prospero propriam illorum hæresin esse: *Non ita extinctam naturam ut non debeat, vel poßit se Velle sanari.* Et Proprium *Arbitrium ad hoc tantùm esse liberum, ut velit, vel nolit admittere medicinam.* Quæ duo ibi convincit Jansenius Semipelagiana & hæretica esse: & ex Augustino confutat. Et quidem latè ac luculenter. c 6. & 7. imo & toto pene libro multis ac præclaris locis ex Augustino Prosperóque adductis, quæ non est opus repetere, cùm ipsemet fateatur Semipelagianũ errorẽ esse, affirmare primos illos motus conatúsque justorum ad Bonum, non esse ex Gratia, quod ostendit de Massiliensibus Vasquez 1. p. d. 91. c. 8. & 12. Vnde datâ assumptione manet utraque præmissa de Fide, atque adeo Veritas quæ est in conclusione

one de Fide eſt, non quatenus concluſio, ſed uti veritas ſimplex, uti nunc eſt ad credendum ab Innocentio X. propoſita.

Animadverto autem Janſenium ſibi in eadem propoſitione contradicere, dum ait: *Juſtis volentibus & conantibus non eſſe præcepta poßibilia*: cùm juſti *conando & volendo* jam ex Gratia *velint & conentur*, atque adeò *volendo & conando* per Gratiam, ulteriorem gratiam petere ac impetrare poſſint.

Id verò quod apponit: ex impotentia orta ex maximâ infirmitate noſtra & neceſſitate majoris Auxilii, certè non quadrat in homines juſtos, ſed in Peccatores obſtinatos; inter quos & juſtos magna eſt differentia: cum juſti ſint in Gratia & per Gratiam liberati, & minus graventur, & faciliùs operentur. Quare maxima pars locorum quos adducit c. 13. & 14. aliiſque ſequentibus, de Peccatoribus loquuntur, imò de obduratis, & obſtinatis loquuntur, uti apparet in loco de ſerm. 97. & lib. Retract. c. 15. & de lib. arbitr. c. 18. & lib. de perfect. Juſt. & Pſalm. 106. & Tract. 34. in Joannem. Et patet ex eo quia ſæpe mentio fit de peccatis quæ ſunt pænæ peccati. Quare non rectè Janſenius hominibus juſtis attribuit, cùm conantur & volunt ex Gratia, illud pondus difficultatum, quo penitus obruantur, nec poſſint petere & impetrare quo poſſint.

Imo & illud obſervo demiratus modeſtiam Cenſuræ Pontificiæ, quod cùm poſſet, meo judicio, ulteriùs definiendo tendere, atque addere: *Omnibus Fi-*

delibus, non tantùm *justis, sed etiam Peccatoribus injustis, & malis, imò & obstinatis non esse impoßibilia* præcepta, noluit nisi de justis tantùm mentionem facere. Nam etsi constet Peccatores malos & obstinatos, Fideles tamen, Gratiâ ad volendum & petendum non destitui;. atque adeo per eam, majorem gratiam quâ implere præcepta possint, obtinere: tamen quia vidit aliquos Authores Catholicos sentire Peccatores obstinatos & induratos sufficienti auxilio carere, ac ejus sententiæ Augustinum authorem facere, qui videri possunt apud Vasquium. 1. p. d. 97. c. 2 &. 6. & *S*uar. 1. p. d. 4. d Prædest. c. 1. & 3. & 2. p. de Grat. lib. 4. c. 8. noluit ulteriùs progredi, sed ibi terminos, ubi error erat figere: notamque Censoriam Propositioni de Hominibus justis loquenti inurere.

Ego vero affirmo hominibus fidelibus induratis & obstinatis universim non deesse Gratiam sufficientem, & nego oppositæ sententiæ Augustinum Authorem esse: quemadmodum in mea Cortina ostendi, & in Hyperaspiste Augustini monstrabo. Habeo vero magnum mei judicii patronum D. Thomam 3. p. 9. 62. a. 6. ad 3. *Homines*, inquit, *quamdiu vivunt, possunt ad fidem & caritatem converti: quia in hac vita non sunt homines confirmati in bono, vel malo, sicut post exitum ex hac vita.* Quo nihil pro induratis aptiùs dici potuit: nam quamvis obstinatissimi sint adhuc in via sunt, nec cum damnatis numerandi sunt. Duo hic maximè observanda. Primum Hanc propositionem Jansenii nunc damnatam à Sanctissimo

Papa

Papa Innocentio X. jam à concilio Tridentino fuisse directè condemnatam: & multo olim antea à Concilio Arausicano, assertâ ejus contradictoriâ indirectè proscriptam. Nam ita Arausicanum Can. 25. *Hoc secundum Fidem Catholicam credimus, quod acceptá per baptismum Gratiá omnes baptizati Christo auxiliante & cooperante quæ ad salutem pertinent possent ac debeant si fideliter laborare voluerint adimplere.* Tridentinum sic, Sess. 6. cap. 11. *Nemo temerariâ illâ & à santis Patribus sub Anathemate prohibitâ voce uti debet:* Dei *præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia: nam jubet, sed jubendo monet facere quod possis, & petere quod non possis: & adjuvat ut possis. Cujus mandata gravia non sunt cujus jugum suavè est, & onus leve: qui enim sunt Filij Dei Christum diligunt: qui autem diligunt eum, ut ipsemetestatur, servant sermones ejus quod utique cum Divino auxilio præstare possunt.*

Quæ duo Concilia ex mente Augustini dogma illud Catholicum formarunt; nam Tridentinum iisdem met Augustini verbis usum est, Arausicanum constat compendium Augustianæ doctrinæ esse, ut egregiè tradit Vasquez 1.p. d. 91. c. 11. n. 76. & Suar. tom. 2. de Grat. l. 5. c. 42. n. 3. Secundum: Formulam ab Innocentio Papa & Domino nostro servatam, in concipienda illius Propositionis Censura, partim ex verbis Patrum, partim Tridentini Concilii constare. Igitur *Temerariam* dixit Pontifex juxta Tridentinum, à quo *Temeraria* dicitur. Deinde *Impiam* vocat cum *Basilio* Magno: qui serm. super *attende tibi*, sic ait: *Impium est dicere Impossibilia observatu esse spiritus*

præcepta.

præcepta. Poſtea *Blaſphemam* appellat : quâ eam notâ affecerat *A*uguſtinus ſerm. 192. de Tempore. *Execramur*, inquit, *eorum blaſphemiam, qui dicunt impoſſibile aliquid homini à Deo eſſe præceptum.* Præterea cenſet *Anathemate damnatam*, uti cenſuerat Tridentinum : quod ſuprà ci avimus.

Ex dictis conſtat propoſitionem illam *Hæreticam* eſſe, & omnino adverſam doctrinæ Auguſtini. Et quamvis hoc ſecundum Innocentius non dixerit, ſatis ſignificavit, cum eam ex Tridentini ſenſu damnavit; à quo eſt ea verbis *A*uguſtini damnata, ſed quod non expreſſe de *A*uguſtino Innocentius, perſpicuè dictum eſt à Pio. v. & Gregorio xiii. cum illam Baii propoſitionem damnarunt ità conceptam. *Definitiva hæc ſententia : Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe falſô tribuitur Auguſtino : cùm Pelagij ſit :* quam damnando ſtatuerunt, Auguſtinum ejus ſententiæ, quæ affirmat Deum *nihil homini impoſſibile ſtatuiſſe*, authorem eſſe.

Tandem notandum Pontificem tantùm damnare hanc *Propoſitionem* circumſcriptam & limitatam *ad hominis juſtos*: quare ex vi illius non damnantur adhuc aliæ duæ, quæ in eadem materia reſtant. Altera : *Hominibus Fidelibus malis induratis, & obſtinatis impoſſibilia ſunt præcepta* : quæ quanquam falſa omninò meo judicio ſit, non eſt tamen per hanc Cenſuram condemnata. Altera : *Hominibus infidelibus , qua tales ſunt, impoſſibilia ſunt præcepta.* Quid autem fuerit quòd eas Pontifex nunc examinare ac cenſere noluerit, id in incerto eſt. Mihi illud

illud videtur; cùm earum definitio ex ea quæstione pendeat; *Detúrne* omnibus *Auxilium sufficiens*? *An non?* Quæ adhuc inter Catholicos ventilatur: & licet pars affirmans Scholasticis communiter probetur, negans tamen sit Augustini & Fulgentij ac discipulorum, & gravissimorum quorundam Authorum teste Vasquez 1. p. c. 96. & 97. imo et juxta Ruardum Tapper a. 7. contr. *Luther.* Doctrinæ *P*atrûm magis conformis: ac primam magno consensu probent, sequantúrque *Arminiani*, *Sociniani Remonstrantes*: secundam *Lutherani* et *Calviniani*, nè alterutrâ damnatâ hæreticis morem gerere videretur, judicium suum circa eas duas Propositiones voluit *P*ontifex sustinere.



ARTIC. III.

Secunda Propositio adducitur, ejusque Censura inspicitur.

HÆc hujusmodi est: *Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Tradit eam *Jansenius* multis in locis. Præcipuè Tomo. 3. l. 2. c. 4. & 5. &c. 9. De illa censet Sanctissimus Dom. Nost. Papa Innocentius. X. *Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* Erravit manifestè *Jansenius*: Inde autem ortus est error, quòd putavit nullum esse Auxilium Gratiæ sufficiens: & omnem prorsus Gratiam esse Efficacem. Ex quo sequitur nunquam Gratiæ resisti: quia Efficax semper habet effectum. Ea præsertim, quam ipse inducit, cui non modo non resistitur, sed nè resisti quidem potest. Unde qui putent *Jansenium* in hac propositione ponere vim *irresistibilis*, ut aiunt *Gratiæ*, et hoc sensu damnari hîc à Pontifice minus certè videbũt. Nã hic non negat *posse resisti, sed actu resisti*. Itaque affirmat actum; non negat potentiam præcisè: ut enim hanc præcisè negaret dicere debuerat; nunquam potest resisti. Dum ergo ait, *Nunquam resistitur* actu inducto

inducto affirmavit; omnem Gratiam esse *Efficacem*, et negavit *sufficientem* et *inefficacem*. Si enim ejus mens esset dicere: Gratiam necessitare voluntatem, diceret *non potest resisti*, et tunc error esset contra libertatem. At affirmando *nunquam* resisti, non contra libertatem præcisè, ec directè dixit; imo dixisse verum, si dixisset: *Gratiæ Efficaci nunquam resistitur*: nam hæc propositio in omni sententia vera est, cùm omnes affirment Gratiam Efficacem semper habere actum et effectum: undecunque tandem Efficacia proveniat. Eo enim distinguitur in scholis Gratia Efficax à sufficiente, quòd illa nunquam, hæc semper caret effectu. Quare non damnaretur Propositio.

Verum ideò damnatur, quia Omnem prorsus Gratiam Efficacem fecit, dum dixit absolutè *Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Quo exclusit Gratiam *sufficientem* et *Inefficacem*. Atque id est contra Concilium Tridentinum Canone 22. Sess. 6. ubi statuit Gratiam *sufficientem* et *inefficacem* et quæ careat effectu, atque adeò Cui *resistatur.* Ejus verba sunt; *Si justificati à Deo non deserantur, nisi prius eum ipsi deseruerunt: si omnes in acceptâ justitia perseverare possint, & in Dei auxilio firmissimam spem reponere Omnes debeant*; habent ergo gratiam ad hoc sufficientem: et cùm non perseveverent omnes, multique Deum deserant, non efficacem. Efficacissimum hinc argumentum contra *Jansenij* Sententiam ducitur. Nam certum est homines justificatos peccare mortaliter, et à justitia

Gratiaque deficere, cum tamen non peccare ac permanere possint; igitur hi *cum potuerunt*, Gratiam habuerunt sufficientem; cùm ceciderunt, *Inefficacem.* Si autem Jansenij propositio vera esset, nemo unquam justus posset deficere; nam semel in Gratia constituto, quæcunque Gratia daretur secum afferet actum, cum Efficax esset futura, quòd ei non resistatur. Atque adeò nunquam peccaret, nec Deum desereret. Sed omninò perseveraret: imò et se perseveraturum semel acceptâ Gratiâ sciret. Quod Tridentino adversatur Sess. 6. c. 11. dicenti ex Augustino; *Deus sua Gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Ubi docet et supponit justos *deseri à Deo*, cum ab ipsis *deseritur Deus.* Id vero Augustinus lib. de Corrept. et Grat. manifestè docuit. c. 13. cum dixit de quibusdam justificatis; *Gratiam Dei suscipiunt, sed Temporales sunt; deserunt & deseruntur.* Qui non perseverant in acceptâ Gratiâ, atque adeo Deũ deseruerunt peccando; quod fieri non posset, si Gratia ab iis accepta Efficax esset; nam huic minimè resisterent, quia talis supponebatur. De quibus etiam loquitur Augustinus c. 9. ad locum 1. Joannis 2. Ex *nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Quod si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Ubi multa præclarè in hanc sententiam dicta.

Loqui autem Tridentinum de Gratia actuali constat, quia sufficientem & efficacem vocavit. & cap. 13. sess. 6, *In Dei auxilio,* inquit, *firmissimam spem collocare & reponere omnes debent; Deus enim nisi ipsius Gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet.*

Quod

Quod quadrat in Auxilium Gratiæ actualis. Certum est item Augustinum agere de eodem genere actualis Auxilii, cum agat de Adjutorio quod ad Perseverandum datur, ipsius confessione Jansenii, impugnantis opinionem eorum, qui de habituali Gratiâ locum intelligi volebant. Contra quos contentiosissimè pugnat pro Auxilio Gratiæ actualis. Ita tomo 2. lib. singul. de Grat. Primi hominis. c. 12.& 13. & tomo. 3. lib. 2. c. 2. & 6. et lib. 8. c. 2. et 3. et nos infrà in libro de iisdem Adjutoriis latè ostendemus.

Adversatur quoque illa Propositio Jansenii, Concilio Arausicano 2. can. 25. *Hoc secundum Fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per baptismum Gratiâ, omnes baptizati Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Ubi videmus Auxilium, *quo possint, & debeant si voluerint*, quod omninò sufficiens est, *adimplere:* Unde sequitur, qui non adimplent, eos nolle cum possint adimplere, atque adeo dari *Gratiam cui resistatur.* Eadem doctrina est Concilij Senonensis, Decreto Fidei 15. & Valentini.III. An. 855. et Enchiridij Concilij Coloniensis. cap. de sacramento Pœnit. Ex quorum testimoniis unum tantum Senonensis afferre volo, quòd rem contineat: *Non est hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Jerusalem sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluit? Frustrà certè Stephanus Judæos duræ cervicis & incircumcisi cordis*

 argueret

argueret qui semper spiritui Sancto resisterent. Frustra Paulus Thessalonicenses admoneret spiritum nè extinguerent, si divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur. Qui locus natus videri poteſt ad illam propoſitionem refellendam.

Inſpiciamus tamen penitiùs originem iſtius erroris Janſenij. Erit quippe operæpretium ſcire, Vnde hæc illi mali labes. Igitur Janſenius ſumpto Auguſtini principio: Gratiam Primi hominis diſtinctam eſſe à Gratia hominis Secundi, quod ſtatuit expreſſè lib. de Corrept. & Grat. a. c 10. ad 13. de qua nos diſtinctione 2. parte dicemus. Exiſtimavit illam primam Gratiam, quam Auguſtinus nomine Adjutorij *ſine quo non* appellavit, & ad modum *Sufficientis* formavit, quia dabat poſſe, eratque in poteſtate Arbitrij indifferẽtis ad operandum cum ea vel non operandum, ità eſſe propriam illius ſtatus, ut intra ejus limites omninò contenta nemini extra illum obtigerit. Itaque homini ſecundo inſtatu ruinæ eam nunquam dari: ac tantum dari aliam ſignificatam nomine Adjutorij *Quo*, quæ rurſum ita propriã eſſet ſtatus hujus, ut ſoli homini lapſo conferatur: ut neutra alterius ſtatus fines tranſiret. Et quidem diverſa illa Adjutoria eſſe: ac primum inſtar *ſufficientis* Auxilij *dare poſſe non velle* ac ſemper operari certiſſimum eſt, quemadmodum docent duo Principes Jeſuiticæ Theologiæ, Vaſquez & Suarez. Ille 1. p. d. 98. c. 2. a. n. 7. & c. 4. a. n. 22. & c. 6. n. 42. Hic. 2. tomo. de. Grat. l. 4. c. 1. n. 2. & n. 5. & c. 28. n. 1. ac nos ſuo infrà loco probabimus.

Itaque

Itaque in hoc minimè erravit Jansenius. In eo lapsus est, quòd negavit Gratiam hominis primi nunquam dari homini secundo: cum manifestum sit sæpe homines justos peccare, ac deficere, ut suprà ostendimus: quibus cùm non detur Gratia Efficax & Adjutorium *Quo*, necesse est conferri aliam sufficientem & inefficacem sive Adjutorium *sine quo non*. Quod nos docuit Tridentinum suprà citatum.

Sed quoniam Augustinum Jansenius sequi se putat: an sit, & quatenus assecutus illius mentem accuratè pendamus. Et quidem Augustinus *A*djutorium illud *Quo*, id est, Efficax hominibus in statu naturæ lapsæ tanquam proprium assignavit: ac ex meritis Christi ac ex proposito Dei Prædestinantis *Efficax* induxit: uti nos proximo tractatu latè ac perspicuè trademus. *A*lterius nullam distinctè mentionem fecit, sed sæpe significavit, ac si semel positum non sustulisset. Ratio verò fuit, quia *A*ugustinus loquebatur de Gratia propria Prædestinatorum data iis ex Proposito Prædestinantis Dei, et cum Perseverantia continenti quasi filo connexa, et ad salutem æternam terminata, quemadmodum posteà dicemus. Nihilominùs tamen aliud Gratiæ *A*djutorium præter istud *A*ugustinus agnovit. *A*n vero fuerit illud *sine quo non* primi hominis, *A*n aliud, jam aperio. Et quidẽ difficilis quæstio est, quam agitavi anteà in mea Certissima quæstione ad id singulari institutâ. Nunc satis erit monstrare *A*ugustinum aliud *A*djutorium præter illud *Quo* et efficax cui non resistitur admisisse. Primum argumentum esto. *A*ugustinus author est;

justum:

justum non deseri à Deo, nisi cum à justo Deus deseritur, imo ex eo videtur desumpsisse Tridentinum illam sententiam cap. 11. Sess. 6. *Deus neminem deserit, nisi deseratur.* Quam tradit Augustinus lib. de natura et Grat. c. 26. et lib. 17. de Corrept. c. 15. et lib. 18. de verbis Apost. c. 6. Sed justus peccando Deum deserit adhuc non desertus, ergo Gratiam aliquam habens deserit, quæ non est Efficax quandoquidem deficit, et effectu caret. Unde conficitur: hanc esse diversam aliam ab ea cui resistitur. Confirmatur loco proximè adducto lib. de Corrept et Grat. c. 13. ubi *justos* quosdam Augustinus *Temporales* appellavit quia deserunt et deseruntur.

Secundum argumentum ac evidens est. Augustinus admittit, et statuit, quædam auxilia Gratiæ parvæ & remissæ, quæ parvas, & infirmas in nobis faciunt voluntates, quæ non sunt efficaces, nec robustæ: sed hæc Auxilia non sunt Adjutoria *Quo*, & Efficacia, ergo Augustinus aliud genus Gratiæ agnovit, præter Efficax, & cui non resistitur. Hoc argumento usus sum in mea Cortina. p. 3. in probatione conclus. 51. idque multis ex Augustino adductis locis confirmavi: cujusmodi sunt. lib. de Spir. & Litt. c. 36. & l. 2. de Peccat. merit. & remiss. c. 3. & lib. de Grat. & lib. arbit. c. 15. & 16. sermone. 3. de verb. Apost. c. 10. lib. de Perfect. just. c. 7. & 10. & l. 8. Confess. c. 5. & 10. & serm. 44. & 97. de divers. & serm. 102. Do aliquos selectos. serm. 3. de verb. Apost. *Sufficit tibi Gratia mea. Volo ut velis, & Adjuvandus es ut plenè velis, & impleas quod velis.*

velis. & lib. de Grat. & lib. arb. c. 17. *Qui vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam. Poterit autem, cùm magnam habuerit & robustam.* Mitto alios & colligo. Illa gratia quæ illas parvas voluntates efficit, non est adhuc efficax ad servanda præcepta, ergo est inefficax, ac ei resistitur. Deinde voluntas mota ab illa Gratia deficit, & cadit cum sit Adjuta à Gratia, cum qua tamen cadit, ergo non habet Gratiam Efficacem. Tandem illa voluntas si amplius juvetur per Gratiam, non deficiet, ac implebit præceptum: ergo illa Gratia per quam non deficiet, & implebit præceptum, sola Efficax erit: atq; adeo prima non erat efficax.

Opponet tamen Jansenius: in doctrina Augustini, illam primam Gratiam esse efficacem respectu illius parvæ voluntatis; cùm omnis gratia parva suum, id est parvum, efficiat effectum: quod probat Jansenius ex Augustino. lib. 3. de Grat. Christi. c. 27. Atque adeo nunquam ei resistere. Respondeo verum esse in Augustinio omne Auxilium Gratiæ esse reipsa exhibitum, non tantum oblatum & paratum: nam hac ratione quomodo erit auxilium, si non exeat à Deo, nec reapse detur? verũ id non satis esse ut sit Efficax, cum per velleitatem non impleatur præceptum, imo & ipsa velleitas deficiat à fine, nec excuset à Peccato. Unde & cum ea voluntas resistit motui parvo Gratiæ, & resistens illam inefficacem reddit. Unde quanquam respectu motus quem excitat videatur Efficax, quòd ipsum efficiat; tamen respectu

operationis & actûs in quem tendit ulteriùs, & propter quem datur, est omnino inefficax, ac ei omnino resistitur.

Opponet iterum Gratias illas tenues & remissas ab Augustino positas non esse in ejus doctrina *sufficientes*, cùm tantum efficiant parvas, & invalidas voluntates. Unde eas vocat Augustinus *non idoneas* lib. 8. Confess. c. 5. & non *sufficientes* l. de Grat. & lib. arbitr. c. 15. ac sermone 3. de verb. Apost. de hujusmodi Gratia dixit *sufficit tibi Gratia mea. Volo ut velis, sed non sufficit ut velis.* Unde addit *Adjuvandus es ut plenè velis.* Respondeo primum hoc ab re esse, nec enim hic quæritur *Utrum & quomodo Gratia sufficiens sit?* sed utrum *nulli Gratiæ in statu lapsæ naturæ resistatur?* Cui jam satis fecimus monstrando esse Gratias Inefficaces quibus sæpientissimè resistitur. Deinde respondeo: Et si doctrina Augustini *de sufficienit Auxilio* non parum à Recentiorum quorundam sententia sit diversa, uti notat etiam Cæsar Vaninus, & Paulus Bennius in libello de Auxil. suffic. & Effic. & nos suo loco monstrabimus, tamen non tolli per istas Gratias inefficaces illã sufficientiã Auxilii, cum per illas petere et impetrare quis majus atq; adeo Efficax Auxilium possit. Unde quamvis per se ac præcisè non sint sufficientes completè, sunt tamen media & viæ obtinendi Auxilii Efficacis, atque adeò simpliciter sufficientia: quâ ratione superiori capite diximus *justos iis gratiis volendo & conando posse Gratiam ad servanda præcepta obtinere, ac perinde habere Gratiam*

tiam quâ hæc Possibilia fiant : Unde ex definione ipsa Pontificis deduco hunc modum satis esse ad constituendum *A*uxilium sufficiens.

Omitto hîc communem rationem argumentandi contra hanc propositionem Jansenii, petitam ex doctrina *A*ugustini de Gratia non necessitante, & cui voluntas possit resistere : tum quia hîc non quæritur de potentia, sed de actu : tum quia à negatione actus non colligitur negatio Potentiæ : quemadmodum ex affirmatione potentiæ non deducitur affirmatio actus : nam non valet : *Non resistitur, ergo non potest resisti. Nec rursum : Potest resisti, ergo resistitur.*



ARTIC. IV.

Affertur Tertia Propositio: ac quid de illâ constitutum sit, ponderatur.

EA sic concepta: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed solum à coactione*, statuitur *Hæreticam esse, & uti talem damnari*. In hujusmodi censura manifestè apparet Spiritus Sancti Afflatus: nam non nisi eo Arbitro inter duas de libertate absolutâ Catholicorum sententias, tam certum innocumque judicium ferri potuit. Nulla me Authore, difficilior cum in rebus Philosophicis, tum Theologicis, quàm de libertate quæstio est. Duæ sunt de libertate in genere extremæ sententiæ. Una libertatem in potestate indifferenti ad apposita constituit: imo nec eam ab indifferentia distinguit. Duplicem autem inducunt differentiam: alteram ad actus oppositos, quæ libertas est contrarietatis: alteram ad actum & negationem ejus quæ est contradictionis: ac illam quoad speciem; hanc quoad exercitium libertatem appellant; & omnem ab ea removent necessitatem: nam quod uni tantum

tum parti sit addictum, liberum negant; quòd indifferens non sit : ità ut pari passu libertas & indifferentia illa procedat. Hæc est Authorum Societatis Jesu communis sententia : quos quia citare longissimum esset, adducam tantùm eos qui contra *Jansenium* scripserunt, & accuratissimè hujusmodi quæstionem tractarunt. *Antonius* Richard. sive à Campo. lib. 2. *Martinonus* Tom. 1. d. 6. & Tom. 4. *Annal.* l. 4. c. 8. *Thomas Augustinus*, variè in suo opere defens. & *Antonius Moraines* à disp. 30.

Altera ponit libertatem in Amplitudine & Eminentia cum Dominio & potestate libera in suos actus præscindendo ab illa indifferentia, & necessitate. Hæc sine dubio est *Augustini*, quemadmodum nos latè ac dilucidè ostendimus illâ quæstione de libertate & necessitate art. 12. adductis locis lib. 3. de lib. arbitr. c. 3. & lib. de nat. & grat. c. 45. & 47. & lib. 1. ad Simplic. q. 1. & lib. de Spir. & Lit. c. 31. & in Enchir. c. 105. & lib. de Corrept. & grat. c. 11. & lib. 3. contra Maxim. c. 14. & lib. 1. de nupt. & concup. c. 6. & l. 5. de Civit. c. 10. & l. 1. Retract. c. 1. & aliis addita disputatione contra *Julianum* operis imperfecti in qua bifrontem Indifferentiæ potestatem quam Julianus in totam libertatem inducebat acerrmè impugnat. *Augustinum* sequitur Anselmus l. 2. cur Deus homo. c. 10. & 17. & 18. & l. de lib. arb. c. 2. &. 5. & 6. *Bernard.* lib. de Grat. & lib. arb. *Richard* de S. Victore de stat. inter. hom. & l. de erudit. inter. hom. c. 3. D. Thom. in 2. d. 21. & q. 22. de verit. a. 1. ad 7. & 24. a. 10. & q. 10. de potent.

& in 3. d. 12. q. 2. a. 1. & d. 18. a. 2. & 1. p. q. 62. a. 8. Scotus in 1. d. 10. q. 5. & quodl. 16. quos suæ scholæ sequuntur, & ex aliis Cardinal. Contaren. apud *Guilielmum Gibieufum.* Doctorem Sorbon. à quo hæc sententia traditur & illustratur Tom. de libert. Dei & Creat. l. 1. c. 6. & aliis. Consentit Cæsar Vanin. in suis exercitat.

Inter has sententias Pontifex constitutus nihil de ratione illâ generica libertatis definivit, ut neutri sententiæ detraheret (quanquam ista secunda ita suumptâ in genere libertate, ne ab ipsis quidem defensoribus indifferentiæ improbetur, uti fatetur Morain. c. 1. d. 3. s. 7. a. n. 40.) sed ad illam speciem libertatis in eo statu descendit qui omnino potestatem ad opposita requirat, quæ ipsa humana libertas ad merendum & demerendum est. In hoc quippe omnes Catholici consentiunt. Et quoniam primâ sententiâ indiffeentis libertatis arreptâ, Sociniani, Remonstrantes, & Arminiani Gratiæ detraxerunt; Acceptâ verò secundâ *Lutherani* & *Calviniani* libertatem arbitrij ad merendum & demerendum sustulerunt, *visum est Spiritui Sancto & Papæ*: id solum statuere, quod cum certissimum esset, neminem Catholicum offenderet neminem Hæreticum confirmaret. Nam si absolutè definitum esset: Necessitatem repugnare libertati, non expresso quæ libertas esset, improbaretur communis *A*ugustini & doctorum sententia: & daretur ansa Semipelagianis, quos *Arminiani* & *Sociniani* Remonstrantésque suscitarunt, indifferentiam illam suam æquè in utramvis

vis partem potentem quam bilancis appellem cum Pelagio exerendi; sin vero permitteretur illa in tota suâ latitudine sententia; Nullâ necessitate auferri libertatem, taxaretur alia Clarissimæ Societatis de libertate indifferentiæ opinio, triumpharentque *Lutherani* & *Calviniani*, qui eam in nobis extinctam contendunt.

*D*escendit itaque Pontifex ab illo summo statu & genere libertatis ad formam & speciem libertatis humanæ viatorum in statu naturæ lapsæ: statuitq; ad merendum & demerendum requiri Arbitrium liberum *non solùm à coactione, sed etiam à necessitate*. Quod omninò Catholicum est. Ac ita definivit Tridentinum. Sess. 6. can. 6. *Siquis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, Anathema sit.* Et meritò à Pio. v. & *Gregorio* xiii damnatæ sunt illæ Propositiones Baii. *Quod voluntariè fit, etiamsi necessitate fiat, liberè tamen fit*: quæ erat ejus 39. Propositio. Et *sola violentia repugnat libertati hominis naturali*: quæ erat 66. Et quidem asserente Tridentino. Sess. 6. can. 4, *liberum hominis arbitrium excitatum à Deo posse dissentire si velit.* Non est ferenda illa sententia quam Divus *Thomas* manifestè damnaverat qu. 6. de malo hisce verbis: *Hæc opinio est hæretica. Tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitari non potest.* Ac ita de illa censuit Universa *A*cademia Parisiensis in Collegio *S*orbonæ Anno 1560. 27. *Junij* in Censura so-

ſolenni & quidem nemo Authorum pro ſecunda ſententia citatus negat hanc ad merendum homini libertatem.

Hanc eſſe Auguſtini doctrinam circa libertatem hominis operantis in hoc ſtatu ruinæ, quæ à Summo Pontifice in cenſura ponitur, aliàs ego antea in mea Cortina, Quæſtione de libertate & neceſſitate Peccandi latè ac enucleatè oſtendi: Et in articulo de libertate Dei & Creaturarum, cùm libertatis ſpecies formaſque numerarem, neceſſitatem à merito demeritóque excluſi: cùm tamen certam quandam in aliis actibus liberis Angelorum & hominum Beatorum neceſſitatem cum Auguſtino, Scoto, aliíſque Summis Authoribus admiſiſſem prorſus. Itaque brevius hîc agam, & locos tantùm Auguſtini perſpicuos & idoneos ad neceſſitatem ab actibus meritoriis removendam adduco. Primus eſto lib. 3. de lib. arbitr. c. 18. approbatus ab Auguſtino lib. de Nat. & Grat. c. 67. *Quæcunque iſta eſt cauſa voluntatis ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato ei ceditur; ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. At fortè fallit incautum? Ergo caveat ne fallatur. An tanta fallacia eſt, ut caveri non poſſit? Si ità eſt, nulla ergo peccata ſunt. Quis enim peccat in eo quod vitari nullo modo poteſt? Peccatur autem. Caveri igitur poteſt.* Hoc loco abutebatur Pelagius excludendo gratiæ neceſſitatem ad vitandum peccatum. Cui ita reſpondet Auguſtinus, ut admittat vitabile omnino eſſe peccatum, atque adeo non neceſſitate committi; ſed non ſolius naturæ viribus, ſed cum adjutorio Gra-

tiæ.

tiæ. *Agnosco, inquit, Verba mea sunt, sed etiam ipse dignetur agnoscere superius cuncta quæ dicta sunt. De gratia quippe Dei agitur, quæ nobis per Mediatorem medicina opitulatur non de impossibilitate justitiæ. Potest ergo ei causæ, quæcunque illa est, resisti; potest planè*; & mox. Potest *peccatum caveri, sed opitulante illo. Et postea: sivet ergo immineat, sive insit, caveri potest.* Ex quo manifestè deducitur: Peccatum esse non posse in eo, quod vitari non possit: atque adeo cum necessitate stare demeritum non posse, idque verè lib. de vera Relig. c. 14. dixerat. *Peccatum nisi voluntarium sit, non fore peccatum.* Et lib. de duabus Animab. *Peccati reum teneri aliquem quià non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis esse & insaniæ*, ac idem sæpe in eodem lib. repetit c. 11. & 12. jam verò illud celeberimum dictum ab Augustino lib. 3. de libero arbitr. & relatum lib. de Nat. & Grat. c. 67. rem continet. *Non tibi imputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras.* Et verò id observo Augustinum Manichæis semper negâsse necessitatem peccandi, asserendo Peccatum vitari posse, ac docendo neminem in eo quod vitare non posset, peccare posse: Pelagianis autem id solum negâsse Peccatum nudis naturæ viribus vitari posse: ac ita nunquam de potestate vitandi dubitâsse, eam semper asseruisse, tantùm rationem vitandi non in natura vitiata esse voluisse: id nos latè & accuratè illâ quæst. de libert. & necessit. peccandi ostendimus. Ubi etiam tres rationes vitandi peccati ex Augu-

gustino adduximus, & veram à peccando necessitatem removimus. Itaque in demerendo libertas non solum à coactione, sed etiam à necessitate juxta Augustinum statuitur. De merendo autem eandem esse rationem quis dubitet? verum & id quoque ex Augustino monstramus. Is vero ejusdem rationis utrunque esse sensit, cùm lib. de Nat. & Grat. c. 63. dixit *se toto corde suscipere* illam Hieronymi sententiam. *Nos neque ad virtutem, neque ad vitia necessitate trahi.* Servandæ meritum legis, potestati nostræ assignat Augustinus lib. de actis cum Felice Manichæo c. 5. nam cùm hic dixisset *Multos servare legem voluisse* vocem hanc eripuit Pater Augustinus & pressit. *Qui enim, inquit, legem servare non vult, inpotestate ejus est, si velit.* Et in Psal. 34. ad illud. *Noluit intelligere ut benè ageret. Non quia non possunt,* ait, *sed quia nolunt,* & lib. 1. Retract. c. 22. *Est in nostrâ potestate, inquit vel inferi bonitati Dei, vel excidi ejus severitate.* Et lib. 50. Homil. 50. *Cùm per Dei Adjutorium in potestate tuâ sit utrum consentias Diabolo, quare non magis Deo; quàm ipsi obtemperare desideras?* Et rursum: *Rogo ergo vos fratres Charissimi quare Satanas seducit ad peccandum? cum Deus posuerit homini in potestate, non consentire Satanæ.* Itaque Augustinus cum dixit toties *Consentire & dissentire* propriæ *voluntatis* esse, quod semel non dixit, toties necessitatem exclusit: quemadmodum nos citatis ejus locis lib. de Spiritu & Littera in quæstione de libert: et necessit. Peccandi observavimus: in quâ certè quæstione quicquid deside-

rari

rari potest, ad hanc Augustinianam doctrinam statuendam & illustrandam cumulatissimè præstitimus Remotâ à merito ac demerito necessitate: Tria manent Definita in Censura. Unum *repugnare merito coactionem:* alterum *repugnare merito necessitatem.* Tertium *distingui coactionem à necessitate:* & quidem aptissimè: nam posset quis excipere: si solam necessitatē removeret Pontifex, illum de necessitate coactionis locutum: idcircò inter utranque distinxit: ambasque à merito demeritóque exclusit.

Duo tamen observanda, imò & objicienda supersunt. Alterum circa mentem *Augustini*: alterum circa mentem Pontificis. Primum *Augustinum* admisisse necessitatem peccandi: imò eam ex Psalmis aliisque sacræ scripturæ locis deduxisse. Ita lib. 3. de lib. arbitr. c. 18. & d. 2. contra Secundin. & lib. de *Perfect*. Just. c. 4. & l. 1. Retract. c. 1. lib. 8. Confess. c. 5. & Serm. 45. de temp. & lib. 1. oper. Imperf. contr. Julian. & lib. de nat. & Grat. pene totos; eamque ortam ex innata concupiscentia & inolita consuetudine affirmare. Cui facilè respondimus in nostra Cortina quæst. de libertate: ac modò eadem facilitate respondemus. Augustinum necessitatem quandam moralem induxisse, quæ cum Peccato componitur: utì nos ibidem plurimis ab aare. 3. collatis testimoniis probavimus.

Ibique perspicuè distinximus inter necessitatem moralem, & secundum quid, cum qua stat *Peccatum*, & necessitatem simpliciter & *Physicam*, quam

omninò excludit. Itaque Authorem Augustinum esse: ubi sit *necessitas inevitabilis* peccatū non esse; ut hoc sit oporteret ut vitari aliqua ratione possit: Loci duo in Augustino sunt id probantes: Primus quo docet, Angelios & hominem in statu integro non omninò peccaturos, si Adjutorium ad vitandum Peccatum defuisset. Ita c. 11. lib. de Correpţ. & Grat. Si *autem hoc Adjutorium vel Angelo vel homini quàm primum facti sunt defuisset; quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino Adjutorio posset manere si vellet, non utique suâ culpâ cecidissent.* Quod etiam observavit Suarez, in cujus locum posteà incidi Tom. 2. de Grat. l. 4. c. 18. n. 19. & 20. Alter locus est de Induratione Pharaonis li. Expositiō. Epist. ad Romā. n. 62. celebris ob difficultatem: in quo Augustinus excusare à Peccato Pharaonem Auxilij sufficientis defectu videtur atque adeo Peccatum omnino excludere. *Non ergo hoc illi imputabatur inquit, quod tunc non obtemperarit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat: sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur præcedenti infidelitate.* Et sanè ex hoc loco colligunt multi negationem Auxilij sufficientis: uti notat Vasquez. 1. p. d. 97. c. 2. & Suarez. Tom. 2. de Grat. lib. 4. c. 18. & Moraines disp. 25. S. 2. qui videtur assentire: sed hoc aliâs. Nunc ad quæstionem propriè. Fateor neminem mihi hactenus ex iis quos legi, interpretando hunc locum satisfecisse: ne Suarez quidem, qui eum versat & copiosissimè more suo explicat: Vasquez doleo tam levi cum brachio attigisse; nec enim dubito, quin si vellet,

vellet, satisfaceret Itaque necesse est dicam quid sentio. *P*rimum quod quidem fatentur : quemadmodum in aliis locis illius Expositionis Augustinus quòd adhuc tyrocinium in scientia scripturum poneret, non rectè sentit, minus hoc loci quoque recte sensisse; id ego negarim, cùm videam in Retractionibus & aliis cum jam peritior esset editis à se libris, alia correxisse, istud non emendasse : quo apparet rectè sensisse. Sed rursum dubitatio existit ; qùod ipse aliis in locis significat Pharaonem vel induratum peccasse, & omninò author est eum correptum & punitum à Deo : quod monstrat auxilium sufficiens fuisse. Uti liquet ex quæs. 18. in Exod. & serm. 88. de Temp. & lib. 83. quæst. 68.

Ego triplici modo nodum solvo. Primùm aio : Pharaonem Authore Augustino peccâsse & Auxilio sufficienti saltem remoto non caruisse : atque inde duco argumentum ad probandum Augustinum necessitatem à peccato removisse. id hac ratione conficitur. Aliud est committi, aliud est imputari peccatum : Augustinus non negat committi , negat imputari. In committendo est quid occultum , in imputando est quid apertum. Igitur in induratione Pharaonis erat occultè peccatum, sed quia erat peccatum indurationis nec apparebat peccatum, quia videbatur necessarium peccatum : in causa & erat & apparebat peccatum. Ait ergo Augustinus. Tam longè est à Peccato necessitas, ut ubi non est apparens necessitas non appareat damnatio : unde peccatum in quo non deprehenditur clarè libertas, non palam damnetur,

tur, hoc est, non imputetur; sit interius damnatum quod interius tantum commissum: non prodeat foras damnatio, ubi non apparet libertas. Itaque imputetur peccatum primo peccato in quo apparet peccatum & causa peccati: nam ubi aparet libertas, ibi opus est appareat & damnatio. Non ergo hoc illi imputatur, qui tunc non *obtemperavit*, *quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat*. *Noluit* dixit q. 68. erat tamen ejusmodi *nolle* ut videretur *non posse*, non igitur imputetur quod non videtur *nolle*. Redeat imputatio ad causam: *sed quia dignum se præbuit cui cor obduraretur priori infidelitate*. Nè quis autem dicat hoc acutum esse magis quam solidum: ex sequentibus apparet peccâsse Pharaonem: nam ait ex hac doctrina sequi *obduratum deserendo relinqui ut malè operetur*. Male autem operari est peccare. Docet deinde *Peccatum esse pænam peccati*, *& per ipsam pænam malè operari* & constans ejus doctrina est Dari peccata, quæ cum aliorum sint pænæ, peccata tamen sint. lib. de Nat. & Grat. c. 22. & lib. 5. contra Julian. c. 2. ca. 3. & in Joannem tract 53. Dato autem quòd peccavit, congruè locum explicari existimo. Si hæc interpretatio minùs solida videatur. Dico secundò solidius: peccatum, non imputari Pharaoni, nisi in causa: in qua cum tota esset libertas, erat potiùs peccatum: præ qua cum esset minor libertas in sequentibus, non imputabantur sequentia, quæ erant ex morali necessitate peccata. Unde etiam deducitur nobilis divinæ hujus doctrinæ confirmatio, tam obtundi necessitate peccata, ut

eorum

eorum malitia extenuetur, atque adeo ubi sola libertas eminet ibi ratio peccati dominetur. Maneat illud: non petitum illa parte Pharaonem gladio Divinæ sententiæ, ubi necessitas clypeum objecisset.

Tertio verè pronuntio: Pharaonem Induratum, Augustino Authore, non peccâsse postquam induruerat, nec contra unquam Augustinum sensisse: atque adeo in sola causa peccâsse; unde deducitur quantum à necesitate Augustinus abhorreat: qui à Pharaone indurato, quòd aliter agere non posset, Peccatum removerit. Et quidem conferens locos invenio istum tam clarum, tamque expressum, ut explicari non possit, alios obscuros qui ex hoc intelligi debeant: alios haud obscurè indicantes Pharaonis necessitatem, quæ cum Peccato non consistit. Percurro breviter singula. Quæstione. 68. & si dicat Pharaonem *noluisse*, non ideo affirmat liberè *noluisse*: Potuit enim *nolle* ex *necessitate*. Serm. 88. cum dicit Eum *afflictum pænituisse*. Jam non loquitur de *indurato*: nam cum pænituit desiit obdurescere: Deinde potuit ea Pænitentia mala esse, uti Judæ Pænitentia. Quæstione 18. in Exodum favet nostræ interpretationi; cum dicit Pharaonem *inflexibiliter non flexibiliter resistere*. An vero Pharao habuerit Auxiliũ *sufficiens*? alia quæstio est, cui obiter respondeo: non defuisse ei quosdã impulsus & motus, sed tã tenues & remissos, ut pro ejus induratione sufficientes non essent, imo ad quos ille induratus, aut non adverteret, aut certè pertinacia & protervia opprimeret: nec in hac ratione dicendi quicquã periculi

periculi esse potest: nam non peccâsse Pharaonem, dato quòd Peccatum vitare non potuit, doctrina est quam accipimus & probamus: & dari effectus tantum in causa culpabiles Suarez hac loco insinuat, & Moraines perspicuè docet Pharaonem induratum non peccasse. d. 25. S. 2. n. 22. imo fatetur alios induratos ex mente Augustini subtracto Auxilio sufficienti minimè peccare. Id verò ego non dixerim de induratis communiter, nec id Augustinus docet: de Pharone dixerim, quòd Augustinus affirmet, cum præsertim non eadem ratio sit de Fidelibus qui indurantur, quos nunquam *sufficienti* auxilio destitui ex Augustino in ejus, quem adorno, Hyperaspiste monstrabo. Hinc apparet quacunque tandem ratione locus exponatur, illud constans indubitatúmque relinqui, ubi sit necessitas, Peccatum esse non posse.

Gravior & difficilior circa mentem Pontificis quæstio. Cum enim removeat necessitatem à merito, videtur potestatem agendi & non agendi ad rationem merendi exigere; quæ certè in Christo Domino aut ægrè, aut minimè reperitur. Primùm Observo Dei providentiam in hac censura. Damnavit Pontifex necessitatem, eámque in statu naturæ lapsæ. Itaque nil de indifferentia, nil de necessitate ad meritum absolutè voluit determinare. Tantùm meritum humanum in statu naturæ lapsæ voluit liberum à necessitate. Ab illa de Christi libertate, & merito, aliisque de libertate, & merito absolutis quæstionibus abstinuit. Nam certè Christus non meruit, uti nos in natura lapsa meremur; itaque non manet

ejus

ejus meritum nostris legibus definitum. Quod si Pontifex removendo necessitatem indifferentiam exigeret, laborarent Theologi in merito Christi sustinendo. Ideo Pontifex divinitùs humanum meritum in statu ruinæ liberum à necessitate declaravit, quæ necessitas tollat potestatem opposita agendi: quam certè postulat libertas humana. Hoc enim fateor: remotâ necessitate assertam fuisse liberam agendi & non agendi, vel agendi opposita potestatem: quæ sanè pertinet ad nostram libertatem. In Christo alia erat ratio merendi, quæ non erat nostris angustiis circumscribenda. Non eò hæc dico, quòd negem Christum in merendo liberum non fuisse, cum maximè liber fuerit, sed quòd negem illum eo modo quo nos liberi sumus liberum fuisse. Nec temerè quæstionem istam excito, sed consilio: ut appareat Pontificem Spiritu Sancto afflatum hoc tantùm modo rem definire voluisse. Video enim quid paraverint quidem Iansenii adversarii, qui conabantur damnatione opinionũ Jansenii suas stabilire: atque ita in suis operibus censuram adornabant, ut ea in approbationem eorum quæ sentiebant, verteretur. Sed Pontifex eo tantùm, quò licuit progressus substitit, nè approbando damnaret plurima quæ certè iis approbatis necesse erat labefactari: Itaque ad eos termino veritatis nixus Romana voce: *Huc cives huc usq; licet.*

Id ut constet Affirmo: Multum inter Christi nostrúmque meritum interesse: nec posse eandem rationem utrique merito accommodari: patet; quia

in nobis est potestas peccandi: quæ in Christo esse non potuit. Cum præsertim illa potestas peccandi neque libertas, neque pars libertatis, sed defectus & imperfectio libertatis sit (contra quam sentit Vasquez 1. p. q. 19. a. 10. & 1. 2. q 129. c. 10. Et Benius in Apologia.) Authore Augustino multis in locis, quos adduxi in mea Cortina. quæstione de libertate & necessitate peccandi, quibus nunc addo locum lib. de veræ Religione c. 19. & Fulgentio lib. de Fide ad Petr. c. 3. & D. Gregorio lib. 5. Moral. c. 25. & Anselmo: cujus est illud celebre effatum: *Nec libertas est, nec pars libertatis potestas peccandi*: & ita *plures loqui patres* fatetur Vasquez 1. p. q. 19. a. 10. in solut. ad 1. Idem tradit Divus Thomas. 1. p. q. 62. a. 8. ad 3. & Bonavent. in 2. d. 7. & 25. q. 3. & alii apud Guilielmum Gibiensum Doctorem Sorbonicum in 1. tomo de libertate Dei & Creaturarum l. 1. c. 31. à quo hæc veritas luculenter probatur. Quare illa cum in Christo non esset, longè alia ratio libertatis esset: nempe altior & præstantior, & à concretione terrena liberior. Deinde urgeo illam, quam quidam inducunt in exercitium actuum indifferentiam, quâ sartam tectámque putant Christi libertatem, imo necessariam ad eam retinendam existimant, solenni illo, cui nunquam satis facient, argumento. *Opera Christi à patre fuisse præcepta, & licèt non forent, teneri eum perfectissimè operari*: Hoc dato, quomodo indifferentiam illam sustinebunt? Aiunt: Motiva libera esse. Contra: Esto motivum certum; in actu Amoris Dei; Quî tandem

stabit

ſtabit libertas in amando? Confugiunt ad circumſtantias. Certè hic actus circumſtantiis caret. Præterea in aliis qui eas habere poſſunt, ineptum eſt ab iis libertatem ad ſubſtantiam actus emendicare: & nobiliſſimum actum, niſi circumſtantiis ſit veſtitus, libertate nudare. Quid ſi præcipiantur circumſtantiæ? negent id potentiæ Dei, ut ſuam illam poteſtatem ſuſtineant. Redeunt ad actus reflexos. Hoc abſurdius: nam actum directum libertate privant, & reflexis donant: ego vero volo ut actus ille directus liber ſit. Quin ſi imperetur reflexus, & alius atque alius imperetur, jam erit in infinitum proceſſio, & fugiente libertate manebit illuſio. Præterea Chriſtus actu ſuo perfectiſſimo omnes illos actus reflexos virtute ſuâ continebat: cum enim *D*eum amaret perfectiſſimè, erant in eo amore omnes illæ, in quas reflectere rationes poterat, involutæ. Provocant ad actus individuos; aiunt potuiſſe hoc aut illo actu mereri. Cui id Theologo, imo & Philoſopho veniat in mentem? cùm determinatio illa ad individuum extra rationem libertatis ſit, atque adeo à Deo fieri dicatur? An hi actus individui antequam exiſtant, perſpecti cognitique & in poteſtate quaſi in numerato ſunt? Quod ſi in numerato ſunt & tanquam numi ſolvendi, quid refert hic an ille numero eligatur ad ſatisfactionis libertatem, cum ſiquis debeat unum numum & decem habeat, nil omnino interſit, quòd illum potius eligat, quàm alium ad ſolvendum. Unum ſupereſt effugium, dicere; Chriſtum Dominum in primo ſuæ conceptionis inſtanti in

libertate ſua relictum accepiſſe à Patre eligendi poteſtatem quid vellet agere p o ſalute hominum, atque adeo tum liberè elegiſſe, cùm poſſet non eligere. At hoc unde probant? & ut probent, unde deducunt Chriſto liberum fuiſſe non eligere modum perfectiſſimum redimendi? nec eſſe certum de voluntate & Decreto Divino? An volunt ut tota noſtra Redemptio ab arbitrio pendeat humano? & obedientiam tollunt, cui Paulus Redemptionem adſcripſit *Factus obediens uſque ad mortem?* An Æquius erat leges à Chriſto Homine dari, non accipi ad redimendum? Certè illa voluntas Chriſti ex obedientia, ex lege fuit. *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Præterea in unico illo tantum actu Chriſtus meruiſſet, & in aliis non meruiſſet, quòd omnia ageret jam determinatus. Quid ſi omnia devorent? illud certè objiciam, quod deglutire non poſſint: nempe Actum Amandi, quem in eo inſtanti Chriſtus elicere debuit. Quid tum? An Amare Deum, ita in ejus fuit poteſtate, ut non Amare poſſet? De iſto igitur actu contendo liberum & meritorium fuiſſe, nec tamen ullam circa eum indifferentiam ejus, quam ponunt generis, exerceri potuiſſe. Niſi poſſe repugnent intenſione & remiſſione objectâ. At ego refutem, urgendo Chriſtum perfectiſſimo modo Deum amare debuiſſe, ac in eo incendio nullum frigori locum fuiſſe: ac non minus eum ardorem remitti, quam ignem gelare poſſe confirmem. Appellent D. Thomam 3. p. q 18. a. 4. ad. 3. ubi ait; *Chriſtum fuiſſe determinatum ad*

bonum

bonum, sed non ad hoc, vel illud bonum. Verùm non est sensus is quem putant: sed alius longè diversus: scilicet Christum determinatum fuisse ad bonum summum, id est, Deum, non ad bona particularia quæ non curabat in particulari, nisi in quantum Deus in illis erat; ut in iis non sisteret, sed ad Deum referret, ac in Deo tandem summo bono consisteret. Unde ad illa erat Eminenter ac Excellenter indifferens, quòd omnibus illis bonis superior nulli addictus erat, sed soli Deo in illis ac per illa inhærebat. Quod aliud est libertatis & indifferentiæ nobilius genus citra defectum & potestatem peccandi; excludens necessitatem à servitute. Quod genus libertatis docuit D. Thom. 1. p. q. 62. a. 8. ad 2. & 3. *Servato ordine Finis, & sine potestate peccandi*: ut explicant interpretes, ac inter eos Philippus Gamachæus Doctor Sorbonicus 3. p. q. 18. ac ejus discipulus *Gulielmus Gibieusus*. Tomo de libert.. Dei & Creaturæ lib. 1. c. 33. qui hujusmodi libertatem Christo assignant, positam in Amplitudine et Eminentia circa bona creatá cum indifferentiâ, id est Dominio super omnia, ut nulli sit addictum in singulari, nisi quatenus summum in eo bonum relucet: cui tantum intentum, ad reliqua indifferenter se habet: habens omnia tanquam minora: quæ certè Eminentia & Amplitudo indicat libertatem excellentem, quæ necessitatem servitutis excludat conjunctam cum limitatione ac defectu, affe-

ctuque ad Peccatum. Ex hac igitur cum Dominio & poteſtate in ſuos actus propria Chriſti libertas conſtat, eſtque longè à noſtra imperfecta mortalíque diverſa. Certè niſi hanc Adverſarij amplectantur in Chriſto, nunquam aliam ei accommodare poterunt. Verſent ſe, ac vexent ; vertant omnes ſeſe in facies; contrahant quicquid ingenio & doctrinâ valent, nihil profecto, quod ſatisfacere poſſit, invenient. Tandem adverto Pontificem Divinitùs, quòd ſciret non requiri abſolutè ad libertatem meriti illam bifrontem cum poteſtate ad oppoſita libertatem, Præſcindendo ab illa, removiſſe neceſſitatem, eam ſcilicet quæ cum ſit alia à coactione, auferat tamen meriti & demeriti libertatem.

ARTIC.



ARTIC. V.

Quarta Propositio cum Censura super ea lata perpenditur.

PROPOSITIO.

SEmipelagiani admittebant, Prævenientis Gratiæ necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei. Et in hoc erant hæretici; quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset voluntas humana resistere, vel obtemperare.

CENSURA.

Falsam & hæreticam declaramus, et uti talem damnamus.

Propositio ex duabus composita est, quæ conjunctione copulantur. Inspiciendum est: Utrum ambæ? An una tantum damnetur? Et, An sit satis: Alteram damnari ad Censuræ veritatem sustinendam? Et dato: damnari unam, & hoc satis ad Censuram esse; Utra illarum damnetur?

Ac

interim retento: semper illam secundam partem Propositionis complexæ, quæ hæresin in ea re *Semipelagianis* impingit hæreticam esse: nam hæc absolvi non potest. Tantùm de prima est controversia: Nec ego id tamen prolixè, quod alterius est otij, sed syncerè ac pro tempore expendam: nec omnes *Pelagianorum* errores, sed eos tantùm, qui ad Auxilium Gratiæ pertinent, examinabo.

Primùm. Omnes ii convenerunt, initium Gratiæ, & meriti à nobis esse: & cum Fides sit ostium Gratiæ, dixerunt Fidei initium esse ex nobis. Id tam est certum, ut necesse non sit probare. Constat ex Epistolis Prosperi & Hilarij ad Augustinum, & ex Augustino libro de Prædestinat. Sanctorum & lib. de Dono Persever. Qua ratione autem initium Fidei & meriti in natura ponerent? accuratiùs inquirendum. Et quidem *Jansenius* lib. 8. de Hæresi Pelagiana sentit, eos non in ipsa natura, uti destitutâ Gratiâ, sed adjutâ eâ tantùm, quæ daret posse, non operari, Initium Fidei, & meriti posuisse: atque adeo eos Gratiæ adjutorium non negasse, sed quod non satis esset, induxisse. Anti-Janseniani contrà censent: *Semipelagianos* in nuda natura omninò Gratiæ Auxilio carente, initium Fidei & meriti collocasse: neque ad id ullum, qualecunque id foret, Gratiæ Adjutorium invexisse.

Ex aliis Clarissimi Theologi Thomistæ, & qui cum iis Prædeterminantis Gratiæ Authores sunt, plerunq; sentiunt: non Semipelagianos tantùm, sed etiã Pelagianos

nos non erraſſe in Gratia Excitante ponenda, ſed in Adjuvante Efficaci. Atque adeo non negaſſe omnino gratiam, ſed talem quæ conſenſum voluntatis efficaciter eliceret: qualem ponebat Auguſtinus, ac de hujuſmodi Gratia illum contra eos, eos adverſùs illum contendiſſe. Ita fatetur Suarez Tomo. 2. de Grat. lib. 5. c. 47. n. 2. Quos Authores, quia ad manum non habeo, verba Suarii afferre volo: ne quis putet me hoc temerè affirmare. *Primam quidem objectionem ſumunt ex errore Pelagij contra quem Auguſtinus diſputavit: ſupponunt; Pelagium non errâſſe in Gratia Excitante; ſed in Adjuvante, qua Deus efficaciter prævenit voluntatem, & efficit ut liberè conſentiat. Nam omnem Gratiam Excitantem, quam Divus Auguſtinus ponit, dicunt admiſiſſe Pelagium: negaſſe autem prævenientem phyſicè efficacem; & contra hoc aiunt direxiſſe Auguſtinum totam diſputationem ſuam, unde concludunt; in contrario ſenſu docuiſſe neceſſarium eſſe Auxilium de ſe efficax ac Phyſicè prædeterminans. Ita Argumentatur Suarez diſput.* 99. n. 2. Idem tradit n. 5. Suarez ponendo ſecundam objectionem, & tradiderat. l. 4. c. 4. n. 4. & quanquam ſentiat eos erraſſe in ferendo judicio, affirmat tamen ità judicaſſe.

Contra. Nobiliſſimi Gratiæ congruæ Authores negant Semipelagianos Gratiam ullam Excitantem ad initium Fidei, alióſque initiales actus poſuiſſe. Ita duo lumina ejus ſcholæ Vaſquez & Suarez quos ego Theologos majorum gentium appellare ſoleo. Ille 1. p. d. 89. c. 3. & 8. & 9. & 10. & 13. & d, 91. a. c.

8. ac

8. ac præcipuè c. 17. & d. 92. c. 2. Hic in aliis operibus quibus, nunc caeco; præcipuè lib. 2. de Prædest. ad 1. p. & Tomo de Auxiliis. & Tomo. 1. de Grat. Prologomeno, ni fallor. 5. & Tomo. 2. de Grat. lib. 1. c. 15. &. 16. l. 4. c. 4. n. 4. & c. 12. n. 2. & 15. n. 23. & c. 47.

Ego inter hos *A*uthores constitutus, ac neutrius partis, sed Augustini discipulus: ad quem Annis abhinc. 14. cogitationes meas omnes studiaque converti, judicium meum candidè atque syncerè proferam: quemadmodum ex assiduâ Augustini lectione illud apud me formavi: cùm ea, quâ par est, in Pontificem Summum, ejusque constitutionem reverentia: & antequàm illud feram utar verbis Vasquii 1. p. d. 99. c. 4. ad finem. *Quia nec pauci nec indocti nostri temporis Theologi historiâ non bene perspectâ, variè interpretantur hunc Massiliensium errorem, contra quem Augustinus, Prosper, & alii Augustini discipuli pugnarunt: ut quisque quam docet opinionem ab hoc errore tueatur, vel mentem Augustini in suam sententiam sinistrè detorqueat, placuit quædam annotare, ex quibus non solum Massiliensium sententia perspicua fiet, verumetiam testimonia, mentémque Augustini* (ego dicam Pontificis) *in præsenti controversia facilè intelligamus.*

Primùm constat: Semipelagianos Initium Fidei, & bonæ voluntatis in natura posuisse: ut quod totum puri ac primi Pelagiani naturæ ad merendum dabant, ii ad initia tantùm salutis restingrerent. Id quod nemo sit quin dicat, opus non est probare. Ponere autem in nobis initium salutis duobus

modis esse potuit. Primò ut illud initium fieret per actus naturales ad quos natura ipsa ex se sine adjutorio Gratiæ sufficeret. Qui cum omnino essent à natura ad Gratiam disponerent, quæ ipsorum intuitu daretur. Secundò, ut initiales illi actus cum aliqua Gratia fierent, quæ tamen Gratia talis esset, ut indifferenter se habens in potestate voluntatis maneret; quæ in æquilibrio libertatis naturalis sita, ablata gratiâ pro arbitrio æquè vel uteretur, vel non uteretur. Quæ sanè Gratia similis esset ei, quam Adamus innocens, & Angeli habuerunt, & Augustinus Adjutorium *sine quo non* appellavit.

Hic est controversiæ cardo. In qua Clarissima Jesuitarum schola sequitur primum modum excluso secundo. Nobilissima Thomistarum secundum probat improbato primo. Jesuitæ quòd putent secundo modo admisso hæreticos eos non fore, cum Gratiam non excluserint. Thomistæ quòd existiment accepto secundo Hæreticos fore cùm ea Gratia in naturæ potestate, & arbitrio subjecta foret: nec futura esset Gratia præveniens, sed præventa.

Ego sic arbitror: Utrumque modum à Semipelagianis fuisse inventum. Hac ratione: Quidam fuerunt, puris Pelagianis similes, qui initium Fidei & bonæ voluntatis in nuda natura ex integro ponebant. Alii, qui meri Semipelagiani naturæ Gratiam adjungebant, sed eam talem, ut subjecta arbitrio ab eo penderet, ejusque nutui obediret, ac omnino pedisequa voluntatis esset. Nonnulli fuerunt intermedii, qui utrumque modum tenuerunt, &

ambas

ambas actuum differentias admiserunt. Omnes Initium meriti à nobis esse aliqualiter volebant. Omnes libertati favebant. Omnes efficacem Gratiam moventem & trahentem antecedenter negabant, eámque tanquam libertatis, quam bifrontem & in æquilibrio sitam putabant, inimicam horrebant.

Primum illud Semipelagianorum genus initium Fidei & bonæ voluntatis in nuda natura ponentium: etsi multis argumentis probetur, quia tamen aliqua de secundo genere, cum aliqua Gratia, explicari possunt, iis tantùm probare volo, quæ non patiantur tergiversationem.

Primùm ex loco Epist. Prosperi ad August. ostenditur: Semipelagianos quosdam initium meriti in nudâ naturâ sine ullo Adjutorio Gratiæ posuisse, quos ideo Pelagianis similes dicit. *Quidam vero*, inquit, *horum in tantum à Semipelagianis semitis non declinant, ut cùm ad confitendam eam Christi Gratiam, quæ omnia præveniat merita humana cogantur, nè si meritis redditur, frustrà Gratia nominetur.* Hîc continetur mens Augustini & Prosperi: volebant nempe, ut ipsi faterentur Gratiam, quæ præveniret merita humana, id est cum qua merita humana non consisterent. Cum autem duplex esset Adjutorium Gratiæ, unum *sine quo* relictum arbitrio voluntatis; alterum, *Quo* movens & trahens voluntatem: volebant Augustinus & Prosper ut istud faterentur, quia existimabant cum alio Adjutorio stare merita humana; uti nos latè primo libro de his Adjutoriis probabimus. Igitur cum illi possent duobus modis erra-

re, vel in nuda natura meritum ponendo, vel admittendo genus Adjutorii *sine quo*, quod non satis erat ex mente Augustini quanquam Gratià esset, & hoc modo errando esse tantum puri Semipelagiani; tantum accedebant ad Pelagianos, ut primum modum eligerent, ac illo etiam Adjutorio *sine quo* repudiato solam naturam ad meritum illud initiale introducerent. Patet ex sequentibus. *Ad conditionem hanc velint uniuscujusque hominis pertinere, in qua cum nihil prius merentem, quia nec existentem liberi arbitrii, & rationalis Gratia instituat, ut per discretionem boni & mali & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mendatorum ejus posset suam dirigere voluntatem, atque ad hanc Gratiam, quâ in Christo renascimur pervenire: per naturalem scilicet facultatem petendo, quærendo, pulsando; ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene usus; ut ad istam salvantem Gratiam initialis Gratiæ ope meruerit pervenire.* Certè hoc loco perspicuè naturæ vis inchoans meritum, à Gratia distinguitur; ut si quis vellet exactiùs id tradere, vix quidem posset. Quid enim est *ad conditionem hominis pertinere?* nisi quâ homo creatus est? quid est nihil prius *merentem, quia nec existentem liberi arbitrii?* quàm ipsam intimè penetrare, ac in ejus sinubus innatam vim naturalis facultatis quærere? *Quid rationalis Gratia & discretio boni & mali*, nisi lumen illud rationis insitum mentibus, quo à brutis separamur, bonúmque & malum morale naturâ duce discernimus, significat? quod autem illud Gratia dicatur, mirum non est,

cùm

cùm ità loqueretur Pelagius: Gratiam Creationis intelligens, quæ suo modo Gratia est, ut damnationem subterfugeret: Jam vero hîc ista Creationis Gratia à Gratia Christi distinguitur: dum dicitur: per illam *ad hanc Gratiam qua in Christo renascimur pervenire.* Jam vero illa explicatio sententiæ hactenus propositæ nullum relinquit locum dubitandi: *Per naturalem scilicet facultatem.* Nam quo alio vocabulo, nisi suo & proprio diceremus; ac ita proprio, ut ad Gratiam transferri nullâ ratione possit: nec enim licet Gratiam Christi *naturalis facultatis* nomine afficere. Initia autem indita naturæ ea proponuntur, quæ minima, quæ videntur esse in ejus potestate: *Petere, pulsare, quærere,* in quibus sit ratio quædam merendi aditum ad Gratiam supernaturalem, sed initialem tantùm, & qua renasci incipimus, ut hac accepta, per eam jam supernaturaliter operando ad salvantem detur accessus. Tres hic sunt gradus ad salutem: primus, naturæ: secundus, Gratiæ: id est *natura, Gratia Fidei, & Perseverantia.* Tanta est vis hujus loci, ut ego in eo Achillem invenerim: nec opus sit in brevi opusculo alios quærere. Fidem mihi habeat Lector, plures alios esse, qui Ajaces, ac Diomedes, & Antilochi vocari possint: quibus abstineo. Ratum maneat Semipelagianos principium meriti in nuda natura posuisse. Hoc meum esto judicium, qui plura desideret, consulat Vasquez & Suarez suprà citatos, & Anti-Jansenistas qui hoc accuratissimè egerunt; Id tamen observo. 3. esse locos in epistola Prosperi, quinque in Hilarii

litteris

litteris quibus id, me authore, evidenter probatur, in Epiſt. Hilarii clariſſimi ſnnt; habentur vero paulò poſt initium epiſtolæ uſque ad medium.

Caſſiani & Fauſti & Vincentii; & aliorum nobiliũ Semipe lagianorũ in locos, qui certè plures ſunt, & aptè ab illis quos commemoravi citantur Authoribus, prætereo: nec video quî de hoc dubitari poſſit, qui ſciam non paucos nec ignobiles Catholicos doctores in ipſa natura & actibus naturalibus quiddam vel congruitatis, vel diſpoſitionis, vel conditionis ante gratiam, & quodammodo initium meriti poſuiſſe. De quibus videri poteſt, Vaſquez. 1. p. d. 91. multis capitibus, ſed præcipuè c. 10. & Suarez. lib. 2. de Prædeſt. c. 17. & Tom. 2. de Grat. l. 4. c. 12.

Tandem id mihi omnino perſuaſi, poſtquam in has regiones ſeptentrionales veni: comperi enim Socinianos, & Remonſtrantes, qui hodiè Semipelagiani ſunt, admittere hujuſmodi actus naturales, imo & exigere ante Gratiam: & initia in iis meriti, & ſalutis conſtituere: ídque iiſdem Semipelagianorum argumentis antiquorum probare. Ita Socinus prælectione Theologica c. 12. 5. 12. 2. & Remonſtrantes in articulis a. 1. de Elect. & aliis locis quos citat & impugnat Ameſius in Antiſynodalibus; dum iis hoc nomine Pelagianiſmum impingit.

Venio ad alterum Semipelagianorum genus, qui puri & poſteriores Semipelagiani erant, & ſubtiliùs errabant. Hi actus omninò naturales non inducebant,

cebant, dabant tamen in iis (quos admittebant supernaturales) initium operandi arbitrio, ut in eodem actu Arbitrium, non Gratiâ inciperet, ità ut Gratia esset ducta à voluntate, ejusque flexum expectaret, & venientem tanquam pedisequa comitaretur. Hic error distinctus erat à priore: nam prior naturam Gratiæ tollebat, reddendo eam meritis naturæ: hic posterior auferebat virtutem, & minuebat dignitatem Gratiæ, eam subjiciendo voluntati. Hoc exactiùs est & accuratiùs probandum.

Primum esto ex Epistola Prosperi meo judicio efficax argumentum. Post eum quem proximè adduxi locum, in quo de Semipelagianis mixtis loquitur: redit ad puros Semipelagianos, uti constat, nam resumit omnes eorum propositiones, quas initio Epistolæ produxerat, quæ ad Prædestinationẽ ex proposito Dei, & Gratiã ex illo Efficacẽ ac discernentem homines alios ab aliis pertinebãt. Et ad has redeũdo incipit: *Propositũ autem vocantis Gratiæ in hoc omnino definiunt*, ac proponit quatuor celeberrima Semipelagianorum principia. *Universalis erga omnes salvandos voluntatis. Oblati omnibus sufficientis auxilii. Libertatis ex bilance cum æqua ad virtutem & vitium potestate. Præscientiæ meritorum.* Quibus perspicuè omnino inductis, ait: *Nec considerant se Gratiam Dei, quã comitem non præviã humanorũ volunt esse meritorũ, etiã illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundùm suam phantasiã non negant esse præventas.* Quo refutat somniũ Semipelagianorum dicentium, Parvulos in peccato originali decedentes, ex malis, quæ facturi si vive-

rent, fuiſſent, conditionatè præviſis, eſſe damnandis. Sed non ad eos tantum pertinet tota ſententia: nam illa pars: *Quam comitem non præviam humanorum volunt eſſe meritorum*, ad adultos pertinet, uti paulò poſt demonſtrat aiens, *Hanc ſanè de humanis meritis præſcientiam Dei, ſecundum quam gratia volentis operetur*: quod non niſi de adultis intelligi poteſt. His datis à Proſpero: ſic argumentor. Hic admittitur à Semipelagianis, *Gratia comes, non prævia qua humana merita fiant:* quæ ex *præſcientia* cooperationis deſtinata eſt à Deo, ut patet ex illis verbis, *Hanc ſanè de humanis meritis præſcientiam Dei.* Atqui hæc Gratia quæ admittitur à Semipelagianis eſt Gratia, quæ ſanè prima eſt, & Fidei Gratia; nam adjicit *ſecundùm quam Gratia vocantis operetur.* Ergo ad initium Fidei Semipelagiani Gratiam admittebant. *Comitem non præviam* quia ex arbitrio pendentem, & voluntati ſubjectam faciebant. Et in hoc argumento Alterum Achillem inveniſſe me puto, non illum in Lycomedis Regia fractum, ſed in Troico pulvere invictum.

Nè quà tamen ille vulneri pateat, objectioni occurram. Contra enim videtur ſtare, quod infra ſtatuit ex eorum ſententia Proſper. *Itaque quantum ad Deum pertinet: Omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrii libertatem ab his eam apprehendi qui Deo ſponte crediderint, & auxilium Gratiæ merito credulitatis acceperint.* Ecce *ſponte crediderint* ſignificat omnino propriam voluntatem, uti natura eſt, non adjuta gratiâ, quo argumento: ceu ſagittâ Paridis

dis manu ab Apolline directâ, Achilles ille noster vulneratus cadit. Nam illa *vocantis Gratia* Fidei applicata evanuit, cùm Fides naturæ tribuatur: id enim est *sponte crediderint*. Cùm præsertim sequatur *Auxilium Gratiæ merito credulitatis acceperint*: ubi credulitatis meritum naturale Gratiam antecedit, meretúrque eâ ratione quo anteà Semipelagiani mixti dicebant, per naturale initium meriti Gratiam mereri.

At ego respondendo efficiam, ut sit *telum imbelle & sine ictu*; duas hic & Capitales Gratias proponunt: alteram *vocationis ad Fidem*: alteram Perseverantiæ: illam vocant *meritum credulitatis* quo Deo Sponte creditur, hanc *Auxilium Gratiæ* appellant: induxerant enim *vitam æternam paratam*, quam dicunt apprehendi ab iis, qui & credunt & *Auxilio Gratiæ* perseverant: nam vita æterna non nisi à credentibus & perseverantibus apprehenditur: quo fit ut istud Auxilium Gratiæ non possit ad primam Gratiam, sed ad secundam & perseverantem pertinere; cùm ea sit illud *Auxilium Gratiæ* quo vita æterna proximè acquiritur. Illud autem *Sponte credunt Deo* non excludit *Gratiæ concomitantis* adjutorium: nam cum ea quis voluntariè credit. Adeo ut ea phrasi utatur Augustinus, cùm loquitur de voluntate per Gratiam Efficacem mota contra Pelagium, sic enim lib. 2. de Peccat. mer. & remis. c. 5. *Adjutor enim noster Deus dicitur, nec adjuvari potest nisi qui aliquid Sponte conatur.* Itaque non inde colligitur nuda natura voluntatis exclusâ omnino Gratiâ concomitante.

tante. Præterea Semipelagiani volebant, ut in eo concursu voluntas inciperet, & traheret ad se Gratiam, sibique subjiceret, ideo eo termino utebantur. Quòd sanè rem meam continet: nàm ij putabunt tam parvas esse ejus Gratiæ vires, ut etiam si adesset, voluntati tamen operatio tribuetur: atq; adeò sponte fieri diceretur, quod cum illa tantum Gratia fieret. Ita *credulitatis* illud *meritum* potiùs quàm *Fidei* vocant, quia & si Fides esset, erat ex libero arbitrio magis quā ex Gratia, sicut merita erant Angelorum & Adami Innocentis esse ex libero Arbitrio, quia cum ea tantum Gratia, quā vocat Adjutorium *sine quo non*, cujusmodi erat Semipelagiana, dominante Arbitrio fiebant. Quare nil est ab hac objectione Achilli nostro timendum: nec ab aliis quæ ex eadem epistola peti possint: nam hoc responso seu clypeo opposito repelluntur, imo & retorquentur.

Secundum argumentum sumitur ex particula Epistolæ Hilarii, ubi proponitur querela Semipelagianorum de divisione Gratiæ sufficientis & Efficacis sub nomine adjutoriorū *sine quo* & *Quo* tradita ab Augustino lib. de Corrept. & Gratia c. 11. & 12. nam accepta divisione ad Perseverantiam primùm, mox ad Initium etiam conversionis accedunt, & de utroque queruntur: nempe quod tale Auxilium Augustinus ponat, ut eo efficiatur, & *Perseverantia* & *initium*: nolitque ut *Adjutorio sine quo Adami integri* utrúnque fiat: In quo manifestè apparet, hos querulos non excludere omnem Gratiam à Perseverantia, & ab initio conversionis: sed eam tantùm quæ efficax

cax esset quam contrariam suo sensui putabant. Qui, ejusmodi erat, ut sicuti Adamus cum illo Adjutorio *sine quo* pro suo arbitrio operaretur, ita & homines eodem pro libertate sua operarentur. Hoc autem Adjutoriũ cum esset Gratia, eo retento Gratiam admittebant, ac proinde sentiebant, & qui perseveraret & qui inciperet Gratiâ juvari, sed ea quæ in potestate voluntatis esset, & ejus nütui obediret: nam & cum hac stare putabant initium illud meriti naturale.

Probemus assumptũ: audiendo eos, *si enim ajunt ita Adam adjutus est, ut & stare posset in justitia, & à justitia declinare: & nunc Sancti ita juvantur ut declinare non possint, si quidẽ eam acceperunt volendi perseverantiã ut aliud velle non possint.* Hæc pars spectat ad Perseverantiam. Pergunt. *Vel sic quidam deseruntur, ut aut nec accedant, aut qui accesserunt & recedant.* Hic continetur *initium conversionis*, & accessus per Fidem: quid enim est aut *nec accedant*: nisi non recipiant illam Gratiam Efficacem *qua* credant, *quâ* fiant credentes: atque ut nulla tergiversatio esse possit, addit: *aut si accesserint* & recedant. Ut illud *Accedant* intelligi omnino debeat per vocationem ad *Fidem*: à quo recedere possent non perseverando, quod recedere supponit, accessisse & credidisse: cum dicat, Aut si *accesserint & recedant.* Unde patet illud *initium Accessus* nomine nuncupari, quod cum Adami Gratia fieri Semipelagiani optabant: cum solam Efficacem Augustini Gratiam excludebant.

Deinde ex sequentibus apparet, admisisse illos illud

genus Gratiæ, quia eodem argumento utuntur ad defendendam ſuam ſententiam de initio meriti naturalis, quo utebantur Pelagiani ad ſuam de ſuo in nuda natura fundato. Ex quo liquet putaſſe illos illum modum operandi arbitrii cum eâ Gratiâ ſubdita voluntati ſatis eſſe ad ſuſtinendum meritum naturale, cùm prima motio futura eſſet à voluntate trahente Gratiam, atque adeo ſemper initium ab arbitrio eſſet ſumendum, in cujus poteſtate erat Gratia ad ejus obſequium flexúmque parata. Unum igitur ex præcipuis argumentis, quo Pelagiani Gratiã Auguſtinianam impugnabant illud erat, neceſſitari per eam voluntatem, & tolli exhortationes & comminationes. Id Pelagius lib. de Grat. Chriſti. c. 7. Id Celeſt. lib. de geſt. Pelag. c. 18. Id Julianus l. 4. contra Julian. c. 8. Id Epiſcopi Pelagiani lib. 1. ad Bonifac. Id alij Pelagiani Epiſt. 2. ad Valentin. & ſparſim libri imperfecti oper. contra Julianum, Auguſtino objicere. Eodem utuntur nunc argumento Semipelagiani contra Auguſtinianam Gratiam retento illo Adjutorio Gratiæ *ſine quo non* dato ad arbitrium voluntatis: perinde ac eadem eſſet ratio & operandi ex arbitrio & impugnandi meritum ex Gratia. Ad illam autem voluntatem, id eſt ad illam quæ juvetur auxilio *ſine quo non* ſicut Adami pertinuiſſe dicunt exhortationis, vel comminationis civilitatem, quæ perſiſtendi & deſiſtendi obtinebat liberam poteſtatem, non ad hanc cui nolle juſtitiam inevitabili neceſſitate conjunctum eſt præter illos qui ſic concreati ſunt his, qui cum univerſa maſſa damnati

ſunt

sunt, ut exciperentur per gratiam liberandi. Ex quo liquet Semipelagianos istos in ea sententia fuisse, ut initium Fidei ad quod concurreret voluntas cum Gratia, quæ esset in potestate voluntatis, ac cujus nutui flexuique subjecta, ad naturam pertineret. Qua de re postea late dicemus.

Tertium ex Augustino ipso petitur, & quidem idoneum argumentum; ac meo judicio efficacissimum. Nam Augustinus acceptâ per literas Prosperi & Hilarii sententiâ Semipelagianorum, intellexit eos sive ponerent initium Fidei, & Bonæ voluntatis in nuda natura seclusâ Gratiâ: sive in ipsa natura adjuta tantùm Gratiâ *sine quo non* propria Adami, & Angelorum, quæ in arbitrii potestate esset, omnino errare, et merendi initium ad naturam revocare: ac utrunque modum improbavit, inductâ Gratiâ *qua* voluntas antecedenter efficaci virtute ageretur, quæque sibi voluntatem agendo subijceret. Judicavit enim nisi hujusmodi Gratia poneretur naturam meriti principium fore. Id verò certissimè constat ex tenore responsionis ad litteras Prosperi & Hilarij refutando illum errorem de initio Fidei à natura.

Primus ac perspicuus locus est. lib. de Dono perseverantiæ. cap. 7. ubi monstrato ex Dominica oratione *nihil nobis* authore Cypriano relinqui, *in quo tanquam in nostro gloriemur*: ait, id fieri non posse eo modo merendi, quem primus homo & Angeli habuerunt: Quia ille relinquebat materiem gloriandi ex merito naturæ: itaque omnino esse inducendum alium per Gratiam Efficacem appellam Adjutorium

Quo

Quo libro de Corrept. & Grat. Si *quidem* inquit *ut non discedamus à Deo, ostendit dandum non esse nisi à Deo, Qui enim non infertur in tentationem non discedit à Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt: fuerat in homine antequã caderet.* Distinguit inter utrunq; statũ, & ait permanere in statu ruinæ non esse nisi à Deo: at verò in statu integritatis esse à nobis: atq; nunc opus esse Dei & Gratiæ: tunc fuisse naturæ & adeo arbitrij, cũ tamẽ & tunc juvaretur Gratiâ. Pergit igitur, *Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia apparuit in Angelis, qui Diabolo cum suis cadente in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certissimè scimus pervenire meruerunt.* Ecce Angelorum perseverantiam libertati attribuit, cum tamen ea non esset Gratiâ destituta. Videamus modo opponentem huic libertati Gratiam in hoc statu. * Post casum autẽ hominis nisi ad Gratjam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum: neque nisi ad Gratiam suam voluit pertinere ut homo non recedat ab eo. Nota illud *non nisi* bis repetitum & oppositum illi Angelicæ libertati: & obserua loqui Augustinum de initio Fidei & de perseverantia, atque adeo de omni merito. Fides enim ibi est: *ut homo accedat ad eum.* Perseverantia ibi: *ut homo non recedat ab eo.* Rem inculcat vehementiùs. *Hanc Gratiam posuit in illo in quo sortem consecuti sumus prædestinati secundum propositum ejus qui universa operatur.* Ecce Gratia Christi ex proposito Dei prædestinantis qua solâ fit ut cooperante liberè voluntate meritum Deo non nobis

bis tribuatur. *Ac per hoc sicut operatur ut accedamus, sic operatur ne discedamus.* En rursum Fides in accedendo, & Perseverantia in non discedendo. Idem eadem ratione docet Augustinus toto hoc libro de dono Perseverantiæ, semper inducens istum modum merendi ex Gratia Christi trahente voluntatem, & excludens alium ex voluntate determinante & trahente Gratiam: quia hic merita natura relinquit, ille merita Gratia tribuit. Ita cap. 12. & 13. & 14. præclarè. & cap. 16. & 17. & cap. 21. & 22. in quibus fere omnibus de initio Fidei & Perseverantia loquitur. Eadem ratio disputandi est in libro de prædestinatione Sanctorum: in quo evidenter ostendit vocationem prædestinatorum esse ex illo proposito, à quo est Gratià Efficax: & omne meritum nostrum esse Donum Dei, & opponit hanc rationem merendi, alteri quâ meruit Adamus integer cum Adjutorio Gratiæ *sine quo* id est Gratiæ positæ in potestate Arbitrij operantis. Id autem clarissimè proponit c. 15. adducto exemplo Gratiæ Christi. *Eâ Gratiâ* inquit, *fit ab initio Fidei suæ homo quicunque Christianus, quâ Gratiâ homo ille ab initio factus est Christus: de ipso spiritu est hic renatus, de quo ille est natus.* Et post luculentam hujusce rei amplificationem ait: *Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam, & regnet quæ regnat Dei gratia per Jesum Christum Dominum Nostrum.* Duo dicit: Merita Adami cum illa Gratia ad arbitrium temperata humana esse: atque adeo homini tribuenda; &, merita hominis regenerati esse Dona Dei: eique proinde

inde non homini tribuenda. Et quidem Augustini ea mens est : ut nisi Gratia sit Efficax, & trahat voluntatem, omne aliud cum alia quacúnque Gratiâ naturale sit, & arbitrio tribuendum; quemadmodum ex tractatu sequenti de Duplici Adjutorio dicemus. Hac mente Augustinus repudiat illum modum operandi status integri cum Gratia inefficaci ex se & arbitrio voluntatis relicta, quia vidit actionem á voluntate incepturam, & primum flexum & motum ab arbitrio futurum. Itaque removet istum modum ut Gratiæ priores partes det, quas aliter habere non poterat : id nos hîc latè probare non possumus : quare tractatui proximo reservemus. Unum tamen et alterum omittere nequo locum, qui rem maximè continent.

Unus esto ex libro de Prædest. Sanct. c. 2. ubi ait. *Porro si operatur Deus Fidem nostram miris modis agens in cordibus nostris ut credamus, nunquid metuendum est ne totum facere non possit ; & ideo homo sibi primas vendicat partes, ut novissimas ab illo accipere mereatur.* Expressam vides illius primi modi ex arbitrio flectente se ad gratiam inefficacem ex se, & indifferentem, & eam trahente ad cooperandum cum victoria libertatis imaginem. Si negas audi. *Videte si aliud agitur isto modo, nisi ut Gratia Dei secundum merita nostra detur quolibet modo ? ac sic Gratia, jam non sit Gratia.* Quid est illud *isto modo* ? nisi hoc modo qui non in nuda natura ponatur ? nam de hoc constabat, omnino esse contrarium Gratiæ, & meritum naturæ sine ope Gratiæ assignare : atque adeo

non

non erat de eo quisquam monendus. Igitur *isto modo* innuit subtilem quendam alium modum, qui admittens aliquatenus gratiam sub eo prætextu meritum vendicet. Quorsum item illud *quolibet modo?* id est cum respectu ad alios, quos ille terminus indicat, quemadmodũ *quivis*. Et si enim aliquando indefinitè sumatur, semper tamen retinet quiddam divisum, & significans alia. Itaque illud *Quolibet* modo involuit respectum ad alios modos, qui esse possunt auferendi Gratiam, & quicunque tandem sint ijs omnibus Gratiam tolli. Loqui autem Augustinum de uno & eodem actu Fidei, in quo cum voluntas, Gratiaque concurrant sit in eo primus voluntatis flexus, & secundus Gratiæ, patet ex adjunctis paulò post. *Volens à se ipso sibi esse quod credidit homo, quasi componat cum Deo, ut partem Fidei sibi vendicet & illi partem relinquat. Et quod est elatius: primàm tollit ipse, sequentem dat illi; & in eo quod vult esse amborum, priorem se facit, posteriorem Deum.* Quod de diversis actibus altero naturali, altero supernaturali intelligi non potest.

Hos ego duos locos idoneos, & perspicuos esse existimo: nam ille primus indicat subtilitatem modi, quo admissâ Gratiâ teneatur virtus Arbitrij, & discretio fiat à voluntate: dicendo acutè, & vafrè actum esse amborum operantium, vitatâ hæresi & retentâ discretione: & iste secundus significat eo modo incipere Fidem ab arbitrio non à Gratiâ: atque adeo Gratiam in eadem operatione posteriorem esse, cum ductum arbitrij sequatur, & cum accedit jam

Arbitrium incepiſſe: atque adeo Fidem non omnino eſſe donum Dei. Et quidem Auguſtinus hîc de ſola Fide agit, & de uno Fidii actu: aitque non ſolum augeri à Deo, ſed etiam incipere: unde apparet de eodem Fidei actu loqui, qui cùm inchoetur à voluntate augeatur à Gratia accedente & concomitante. Confirmatur: quia Auguſtinus vult ut omnino Fides ſit *Donum Dei*, non *meritum humanum*, id eſt arbitrio tributum. Ille autem modus operandi, Authore Auguſtino, primas humano merito dabat, ſecundas Gratiæ relinquebat. Quare ſemper hic Auguſtinus removet ab arbitrio initium diſcretivum & aſſignat Gratiæ, quam ponit moventem et diſcernentem, trahentemque voluntatem. Omnem verò ſenſum huic merito & diſcretioni contrarium excludit. Eſt autem ſenſus contrarius, quicunque non ponit Gratiam efficacem & particularem non quæ communis ſit omnibus, & diſcreta ab aliquibus per arbitrium, ſed quæ cum ex ſe ſit Efficax merita faciat, & diſcernat aliquos ex omnibus. Perſpicuè Auguſtinus: *Nihil huic ſenſui tam contrarium eſt quàm de ſuis meritis ſic quenquam gloriari, tanquam ſibi ipſe ea fecerit non Gratia Dei.* Si hic ſiſteret Auguſtinus à me minus ſtare videretur, nam illa particula *Gratia Dei*, quadrare poſſet in quamcunque Gratiam, quæ naturæ adveniret. Sed pergit ponere aliam Gratiam propriam, & diſcretivam & ab illa communi indifferentique diſtinctam: dixerat: *Non Gratiâ* Dei addit: *Sed Gratiâ quæ bonos diſcernit à malis. Non quæ communis eſt bonis & malis.* En opponit

ponit Gratiam Gratiæ, dum aliam Gratiam requirit, quæ ſit à prima diverſa tanquam ſingularis à communi. Igitur vult Auguſtinus, ut non ſufficiat quæcunque Gratia ad ſalvandam rationem meriti, ſed ut omnino certa & determinata Gratia ideſt Efficax inducatur.

Nec objicias ſequentia verba : in quibus Auguſtinus videtur nomine illo Gratiæ communis naturam rationalem intelligere, quia ait * ſit ergo Gratia naturæ attributa, qua ſumus animalia rationalia, diſcernimurque à pecoribus : ſit etiam Gratia naturæ attributa, qua in ipſis hominibus à deformibus pulchri, vel ingenioſi *diſcernuntur à tardis, ac ſi quid ejuſmodi eſt.* Fateor enim Auguſtinum eo hic ſenſu Gratiam accipere, qui aliquod donum naturæ ſeu prærogativam indicat : ſed hoc dicit admittendo modum loquendi Pelagianorum, qui gratiam in natura ponebant, & admittendo refutat, adjiciens non de illa ſe Gratia naturali loqui cum communem dicit, ſed de alia, quæ cum ſit ſupra naturam, naturæ tamen in agendo ſubjecta ſit : uti conſtat ex ſequentibus. *Sed non ſe ille quem coercebat Apoſtolus adverſus pecus inflabat, nec adverſus hominem alterum de aliquo naturali munere quod ineſſe poſſet & peſſimo : ſed aliquod bonum quod pertineret ad vitam bonam ſibi non Deo tribuens inflabatur, quando audire meruit. Quis enim te diſcernit? quid autem habes quod non accepiſti?* Viden ? ut admiſſâ proximâ ſuperiore periodo Gratiâ in

ſenſu Pelagiano pro natura rationali & prærogativa hujus naturæ, modò accipiat eum ſenſum, & pergat ad Gratiam, additam huic naturæ & præſtantiæ in naturâ, eaque accepta dicat : Adhuc eâ poſitâ locum eſſe cuiquam merendi modo humano, ſeque de eo gloriandi : ac ita ratio cinatur. Non ſolùm facit contra Paulum, qui nudæ naturæ etſi præſtanti meritum aſſignat, ſed etiam qui & bonum aliquod ſupra naturam habet, ac cum eo operans, putat meritum ſui eſſe arbitrij, & à ſe ipſo diſcerni, quod bonum eſt illa Gratia communis, quæ arbitrio commiſſa ſequitur flexum ductumque voluntatis. Nam qui hoc modo operatur, non á gratia ducitur & trahitur, ſed ab eo ducitur & trahitur Gratia. Et quamvis poſtea loquatur de Poſſibilitate putandus non eſt excludere Gratiam cum poſſibilitate conjunctam, cum ſine hac non detur poſſe ; imò quia illa datur ad poſſe facit poſſibilitatem, quæ non eſt ſatis ad excludendum meritum naturæ. Nam quæcunque ſit poſſibilitas ſi ea communis eſt omnibus, nec eſt diſcretiva hominum, ſemper manet inter limites meriti naturalis, & diſcretionem arbitrio committit. Unde Auguſtinus hîc exigit actum operandi, non poſſibilitatem, quia actus ſemper involuit Gratiam Efficacem à qua incipit, & efficitur principaliter operatio. Audiamus Auguſtinum. *Poſſe habere Fidem ſicut poſſe habere Charitatem naturæ eſt hominum : habere autem Fidem quemadmodum habere Charitatem Gratiæ eſt fidelium. Illa itaque natura in qua nobis data eſt poſſibilitas habendi*

bendi Fidem non discernit ab homine hominem : ipsa vero Fides discernit ab infideli fidelem. Et ne cum audires possibilitatem, putares esse solius naturæ dixit *in qua natura* : quasi naturæ adveniret per illud auxilium commune, quod naturæ dat posse ; & ideo non dixit *Possibilitas habendi Gratiam* : sed *Possibilitas habendi Fidem.* Nam si diceret *Possibilitas habendi Gratiam* nudam naturam induceret : cum autem dixit *Possibilitas habendi Fidem*, supposuit possibilitatem cum aliqua gratia communi quæ daret *Posse* : & hanc negavit sufficere ad meritum illud supernaturale de quo loquebatur, ad quod necessaria erat actualis & efficax Gratia, quæ daret operari : quam cum Pelagiani tollerent solam communem ad possibilitatem datam relinquebant. De qua judicat Augustinus, satis non esse ad tribuendum meritum Deo,&auferendam rationem gloriandi homini, cum initium operationis & discretionis sit à voluntate quæ flectat & moveat Gratiam, quam ita habet in sua potestate *Arbitrium*, ut eam subjiciat, ac pedisequam suam faciat : atque hoc esse Augustini de illa Gratia quæ tantùm sit *Adjutorium sine quo non* data ad posse, & in libera indifferentis Arbitrij potestate constituta judicium, infrá libris de utroque Adjutorio patebit.

Quartum sit ab exemplo sumptum. Qui hodie Semipelagianismum profitentur: partim cum Pelagianis in nudis naturæ actibus, cujusmodi sunt Sociniani & Remonstrantes: partim in natura adjuta solâ illâ communi & indifferenti gratiâ, quales sunt Arminiani,

miniani, initium meriti ponunt: ac utrique ſuam iiſdem rationibus tuentur ſententiam, quibus olim Semipelagiani mixti & puri ſuam tuebantur: nam mixti Electionem *D*ei Prædeſtinantis in quadam naturali probitate, quæ in ipſis Electis ad credendum erat, adjutâ naturæ præſidiis & prævisa fuerat à Deo fundant, ac eâ tradunt diſcerni à Reprobis Prædeſtinatos. Ita docent Remonſtrantes in Articulis Synodalibus: Art. 1. de Prædeſtinat. ubi cum Socino Fidei ſemen in natura locant, quam naturalem vocant probitatem, quæ eſt ratio eligendi. Id autem & in Cathe. & in Prælect. Theologica docet *S*ocinus: & quanquam Remonſtrantes tergiverſari interpretando velint, ſe admittere gratiam ſaltem communem, certè reapſe excludunt, cum alibi negent: ac id exprimant Grevinchovius, & Epiſcopius: alii in lege atque doctrina cum Pelagio eam gratiam ponant, quemadmodum ex eorum theſibus, & argumentis probat Ameſius in Antiſynodalibus Scriptis: tum Tomo de *A*nimadverſ. tum Tomo. de Argument. Puri autem admiſſâ omnino Gratiâ quadam communi, quæ ſit in poteſtate voluntatis & ab ejus flexu motuque trahatur, credendi initium, quod à Deo præviſum Electionis fundamentum eſſe volunt, non ſine ea fieri contendunt. Sic Arminius in Declarat. Sentent. & in Exam Prædeſt. Perkins. ac præcipue reſponſione ad articulos ſibi & Adriano Borræo falſò impoſitos: nam reſponſ. ad poſteriores xi. articulos. a. 7. cum illi adverſarii impegiſſent hujuſmodi propoſitiones:

sitiones : *Fidem non esse purum Donum Dei : partim pendere à Gratia, partim à viribus liberi arbitrij, ut si homo velit possit credere, aut non credere.* Negat primam suam esse. Secundam ita admittit ut secundùm verborum vigorem falsam dicat, & mentem suam explicat : nolle se communem Gratiam excludere : sed eam tantum quæ singularis est, & Efficax, & ut ait *Irresistibilis*; unde duo colligo: Alterum non negari ab Arminio Adjutorium Gratiæ ad initium Fidei : Alterum intellexisse adversarios satis esse ad Semipelagianismum : solam illam Gratiam voluntati applicare & cum ea meritum efficere : nec id visus est Arminius ignorare cùm timuit concedere illa duo, *Fidem non esse purum Dei Donum.* Et *Partim pendere à Gratia, partim à viribus liberi arbitrij* : atque adeo uti erat acutus, eo se texit, ut necessitantem, & cogentem vim ab eo merito removeret, quo item se munire clypeo Semipelagiani solebant cum Augustinianam Gratiam refutabant, suámque inducebant. Et quidem diligentissimè Lecto Arminio comperi nusquam ipsum in nuda natura initium illud Fidei quod omnino ad Electionem requirit, collocare: imo semper gratiâ communi, & quam veram vult esse ac supernaturalem Gratiam illud suum initiale meritum communire. Doceant nos ergo novi Semipelagiani, quid de antiquis illis sentiendum sit, nimirum aliquos omnem prorsus Gratiam ab initio Fidei, & meriti removisse : alios talem admisisse, quæ cum communis esset, locum adhuc natura-

li merito reliquisse: illos à Socino & Remonstrantibus, hos ab Arminio suscitatos.

Itaque statuo: Rectè sentire Jesuitas Theologos, dum aiunt Semipelagianos initium meriti in nuda natura posuisse. Rectè Thomistas, dum affirmant Semipelagianos ad initium meriti aliquam, sed non idoneam Gratiam adjunxisse: si Jesuitæ de primis ac mixtis: Thomistæ de secundis ac primis loqui se dicant: ac omnes hoc modo convenire posse invenio: si neutri negent, quod alterutri affirmant: nam negando, excludi omnes Semipelagianos ab altera parte sententiæ necesse est; affirmando oportet omnes unâ tantum sententiâ contineri: cum tamen quidam alterius partis, quidam alterius, idest, duarum partium constet fuisse.

Nunc ad Censuram accedamus. Et quidem de hac prima Propositione censeo, illam jure damnatam, quia universim affirmat Semipelagianos ad omnes & singulos actus, etiam ad initium fidei Prævenientem Gratiam admisisse: cum certissimum sit Semipelagianos primos & mixtos in nuda natura citra omne Adjutorium Gratiæ initium Fidei & Meriti posuisse: & ratione termini indefiniti qui universali æquipollet (nā hic nihil Impedit) omnino Falsā & temerariā habendam & prorsus damnandam: cum præsertim insinuet eos, cum ita sentirent, Semipelagiano more errasse: nam si ea erat Semipelagiana Gratia suspecta profecto erat: & qui eam ita ponat cum Pelagianis sentiet: & forte hoc ipsum voluit Author quemadmodum postea in Paralello ostendit. Sed hoc

hoc interim omisso dico: peccare Propositionem in subjecto collectivo quòd omnes Semipelagianos ait ita sentire. Deinde etiam in Prædicato peccare: quum ait *Prævenientem* eos Gratiam admisisse: nam illa Gratia quam Semipelagiani admittebant non erat verè *Præveniens* Gratia: sed *Comitans* tantum, uti vocat Prosper, *Quam Comitem* inquit, non *Præviam volunt esse humanorum actuum.* Et quidem illa Gratia *sine quo non* versatilis ad flexum motumque voluntatis *Præveniens* rectè dici non potest, sed comitans imo & *subsequens* tanquam Pedisequa voluntatis, atque hoc ipsum fatetur *Jansenius*, & nos proximis libris monstrabimus.

Pergo ire ad nexum cum secunda Propositione. *Et in hoc erant hæretici, quòd vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.* Hæc sine dubio continet hæresim, dum hæresim censet esse, eam quæ haud dubiè *Catholica veritas est.* Nam dicere Gratiam interiorem prævenientem quæcunque illa & quomodocunque Efficax sit, non necessitare voluntatem, sed eam liberam ad resistendum & obtemperandum relinquere doctrina Catholica est. Quare illam hæreticam censere hæreticum est. Ponere enim Gratiam nenessitantem & irresistibilem, ut aiunt *Lutheranam* & *Calvinianam* hæresim esse constat. Nec ea res indiget novis probationibus, cum satis superius sit in tertiæ Propositionis Censura probata: id que omnes Catholici, etsi de ratione Efficacitatis Gratiæ dissentiant unanimi consensu affirment: adeo ut

ipſimet Phyſicæ Prædeterminationis Authores neceſſitatem ab ea removeant, ac poſſe illi reſiſtere voluntatem affirment, & idcircò celebrem illam diſtinctionem ſenſus compoſiti, & diviſi aptè excogitarint: qua vis omnis antecedenter neceſſitans tolleretur, quemadmodum videre eſt apud *Alvarez* diſput. 3. de Auxiliis n. 18. & diſp. 98. n. 10. alioſque ejuſdem nobiliſſimæ ſcholæ Authores. Duce Divo Thoma. 1. p. q. 62. a. 3. ad 2. ubi: *Inclinatio*, inquit, *Gratiæ non imponit neceſſitatem : ſed habens Gratiam poteſt eâ non uti, & peccare.* Et quodlib. 1. a. 7. ad 2. *Sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quòd tamen poteſt huic motioni reſiſtere.* Id vero definitum eſt à Concilio Senonenſi contra Lutherum in Præfatione. Et Decreto Fidei 16. Ubi ſic: *Non eſt tale Dei trahentis auxilium cui reſiſti non poſſit.* Et à Tridentino adverſus eundem & Calvinum. Seſſ. 6. Can. 4. quo loco inter alia. *Liberum arbitrium à Deo motum & excitatum, ita cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, ut poſſit diſſentire ſi velit.* Et cap. 3. ejuſdem Seſſ. *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat inſpirationem illam recipiens : quippe qui illam & abjicere poteſt.* Eandem eſſe Auguſtini doctrinam conſtat quemadmodum nos in Cortina noſtra Theſi 70. ad 76. & in earum probatione oſtendimus: & latiſſime & accuratiſſimè Lib. de Adjutoriis a. c. 3. ad 6. monſtrabimus. Non tamen ut alij ſolent Gratiæ Congruæ Authores, qui Efficaciam Gratiæ Auguſtinianæ ita minuunt, ut eam ſufficientẽ tantum,

&

et indifferentem ac ex se nec efficacem, nec Inefficacem, & solùm ex præscientia opportunitatis congruæ, et consensu in ea conditionatè prævisо, atque adeo ex effectu Efficacem faciant: quo certè nihil ab Augustini doctrina alienius: sed retentâ omnino intrinsecâ & propriâ Efficacitate antecedenter movente, trahente, inclinante, discernente cum summa quadam virtute ac potentia voluntatem, illæsâ tamen ejus libertate, nullâ inductâ necessitate. Ubi item ostendemus Augustinum maximam vim Gratiæ Efficaci dedisse; nec voluisse, ut illa motui ac flexui Arbitrii obnoxia esset, ut ab eo versatili imo & trusatili more ageretur. Sed contrà ipsa moveret ageretque Arbitrium supernaturali impressâ virtute, cui etsi posset resistere, non resisteret tamen, sed cederet, nullâ tamen injuriâ, vulnere vè libertatis.

Et quidem animadverto Spiritum Divinum ita mentem Pontificis gubernasse in hac propositione censenda, ut quemadmodum in tertia observavi, cum libertatem statueret, Gratiam non deijceret, sed huic integram virtutem dignitatemque reservaret. Itaque divinitùs Pontifex usus est verbis *Resistere* & *Obtemperare* docendo Gratiam eam esse cui *Resisti possit* & *Obtemperari*: id enim censuit damnando Jansenium dicentem Semipelagianorū hæresim in eo esse quod affirmarent Gratiæ non posse *Resisti* nec, Non *Obtemperari*. Ex quo apparet Pontificem negando eam hæresin esse, docuisse *Gratiæ resisti posse*. Eique liberè *Obtemperari*. Quod ipsum ante Concilia definierant. Qui certè modus dicendi locum relinquit

virtuti & efficacitati Gratiæ propriè ac per se Efficacis, efficacissimè moventi citra necessitatem. Nam quis non videt illud *Posse Resisti.* Supponere vim antecedentem moventis & trahentis Gratiæ tantam, ut necesse sit dicere *Posse ei resisti.* Hoc est contra ejus virtutem, & impulsum vehementem conari. Nemo enim dicet *Posse Resisti*, nisi ei qui impetu et vi utatur, in eum, de quo dicitur *Posse Resistere.* Nam nemo dicitur *Resistere* qui indifferenter se habet, vel certè tam remissè, ut non trahatur. Quare illo modo dicendi potiùs statuitur virtus Gratiæ ex se intrinsecùs Efficacis, quàm congruæ & opportunæ indifferentia & remissio. Itaque eà phrasi significatur potestas quidem *Resistendi* supponendo ex vi verbi in eadem voluntate motum & impressionem vehementem Gratiæ Efficacis, eámque tantam, ut oporteat advertere adhuc eâ positâ *Posse Resistere* voluntatem: & si actu non resistat. Unde deducitur: si mota est, si tracta est, si non resistit: ideo flecti, ideo venire, ideo vinci, quia Efficax est Gratia: cui cum possit resistere, liberè quidem cedit, sed cedit quòd ab ea vincitur. Cui potest quidem *Resistere* sed non *Resistit.* Et si enim potest *Resistere* tanta tamen virtus Gratiæ est, ut non exertâ adversus eam potentiâ cedat ab eáque vincatur, volendo quidem libere, sed ideo volendo quia movetur ad volendum: adeò ut ipsamet non resistendi actu voluntas, potentis ad *Resistendum arbitrij*, â Gratia proficiscatur, ut hæc omnino sit *victrix*, uti eam Augustinus lib. 2. de peccat. mer. & remis, c. 19. et

sæpe

ſæpe alias Gratia voluntatis. Itaque ſub eo modo dicendi *Poteſt Reſiſtere* latet virtus & vis Efficacis agentis Gratiæ in voluntatem. Tranſeo ad aliud verbum *Obtemperare*. Hoc enim Divino item Conſilio poſitum. Nam qui obtemperare poteſt & non obtemperare, & tamen obtemperat, habet Dominum qui jubeat, cujus vim imperantis ſentiat: et cum obtemperat, jubenti,& quia jubet obtemperat: et obedientia, imperij voluntarius quidem ac liber, ſed expreſſus imperio effectus eſt: Ita voluntas inſtar Ancillæ, ſed liberæ: cui imperatur; Gratia Dominæ, quæ imperat inſtar eſt. Quod contrà ſe habet in opinione ponente Gratiam indifferentem ac relictam arbitrio voluntatis: & ab ea efficaciam mutuantem. Obſervet autem diligenter, quæſo, lector, quòd id quod eſt *Potentiæ* ad *Reſiſtendum* vel *non Obtemperandum* non eſt res quæ exeat à Potentia: et ponatur in actum, ſed maneat intra potentiam: quod verò eſt actus operandi ſit vera & realis entitas, quæ efficitur à Gratia & à voluntate: ut quod non eſt, in voluntate ſit: quod eſt à Gratia movẽte ac trahente voluntatem, hâc tamẽ liberâ volẽtẽ que, procedat.

Porrò animadverto inter hæc duo verba: *Reſiſtere*, & *Obtemperare* id intereſſe quòd *Reſiſtere* ſupponit vim & impreſſionem phyſicam agentem in eum qui *Reſiſtit*, potéſtque *Reſiſtere*. At *Obtemperare* ſupponit moralem quandam poteſtatem jubentem ei: qui obtemperat & poteſt Non Obtemperare. Uſum autem utroque verbo Pontificem, non ſine Numine fuiſſe exiſtimo. Nam cùm duplex ſit Catholico-

rum

rum de motione Prævenientis Gratiæ ſententia: altera quæ docet Phyſicè præmovere: altera quæ Moraliter, utranque voluit Pontifex ſuſtinere, ſignificans neutram ſe aut rejicere, aut improbare, ſed inter utramque poſitum ſolam hæreſim damnare. Nam illud *Reſiſtere* primæ ſententiæ favet: illud *Obtemperare* ſecundæ. Niſi forte voluit judicare, (quod ego in doctrina Auguſtini certum exiſtimo) Gratiam utroque modo præmovere, Moraliter & Phyſicè: quemadmodum lib. 2. de Adjutoriis exponam. Non dico Gratiā *Prædeterminare* ſed *Præmovere*, Quorſum autem & quo jure dicam tunc apparebit, omni excluſâ neceſſitate, ſed ſummâ tamen inductâ efficacitate.

Conſideratione digna ſunt hæc. Verum illud accuratiùs expendendum. Cum duo ſint Errores extremi circa Gratiam. Unus qui eam neceſſitantem, & irreſiſtibilem, ut aiunt, facit: in quo eſt Lutherus & Calvinus & Aſſeclæ, qui Manichæiſmum invexerunt: Alter qui eam facit pediſequam et ſervam voluntatis, Vertibilem appellant, qui eſt Socini, Arminij, & Remonſtrantium à quibus eſt Semipelagianiſmus reſtitutus, quorum ille tollit Arbitrium, hic aufert Gratiam, ita ſe Pontifex cenſendo geſſit, ut eos, in medio, hoc eſt, in loco virtutis poſitus jugularit. Nam cum dixit Gratiæ *poſſe Reſiſti* & *Obtemperari*, docuit non eſſe eam *Neceſſitantem* nec *Irreſiſtibilem* contra Lutherum & Calvinum: et cum utendo his verbis ſuppoſuit Præmotionem Gratiæ ſive trahentis phyſicè, ſive allicientis moraliter, docuit

docuit non eſſe ſervam nec pediſequam voluntatis; atque adeo *Vertibilem Verſatilemque* negavit. Primum errorem quòd craſſior eſt & apertior perſpicuè refutavit: Secundum quòd eſt ſubtilior, & occultior acutiùs & occultiùs refellit. Ita removit neceſſitatem à Gratia & liberam fecit voluntatem adverſus primos, & excluſit dominium & poteſtatem in Gratiam voluntatis, efficacitate inductâ adverſus ſecundos: Nam nec cum illa neceſſitate libertas Arbitrij, nec cum iſta indifferente dominij poteſtate Efficax Gratia poteſt conſiſtere. Etenim neceſſitatâ per Irreſiſtibilem Gratiam voluntate quis, tandem locus eſſet libertati? Et indifferente omnino, & expectante flexum motumque Arbitrij Gratiâ, quid efficietur ab ea in voluntatem? Itaque Pontifex medius ſtatuit acceptâ Gratiâ voluntatem manere cum libertate *Reſiſtentiæ*: non tamen idcirco aſſeruit libertatem *Indifferentiæ*: nam libertas *Reſiſtentiæ* eſt inter neceſſitatem & indifferentiam, cum ſupponat voluntatem motam & tractam, quo in ſtatu non manet indifferens in puncto æquilibrij, cum æqua in utranvis partem poteſtate; ſed inclinata & prona, non tamen neceſſitata. Unde manet libera adhuc ad Reſiſtendum Gratiæ trahenti, ſed non manet indifferens & pendula, cùm jam à Gratia tracta inclinetur. Aliud eſt enim profectò, aliud Indifferentia Arbitrij, aliud libertas voluntatis. Nam Indifferentia eſt quiddam *Adiaphoron* in æquilibrio conſtitutum in neutram partem præponderans, ceu bilanx æquamento rectâ ſingulâ tempe-

rato, quæ in puncto indivisibili consistit. Libertas verò est *Potestas* dominij in suos actus, ac per illos in objecta quæ latitudinem habet, & recipit magis & minus, & admittit inclinationes & motus in utranque partem & cum iis optimè consistit. Itaque potest voluntas manere libera & inclinata: non potest autem indifferens & inclinata manere: atque adeo potest libertatem *Resistentiæ* amissa libertate *Indifferentiæ* retinere. Et vero hanc distinctionem Indifferentiæ & libertatis ex duorum Conciliorum Sacrosancta doctrina deduco. Etenim Concilium Arausicanum II. c. I. ait. *Animi libertatem illæsam, post peccatum Adæ non durare*: quo constat in aliquo læsam illã hodie esse: non in nobis certè quoad libertatem, ergo quoad Indifferentiam. Cap. 8. Vult Arbitrium esse *Vitiatum* & *Infirmatum*, *Læsum*, non quatenus *liberum*, ergo quatenus *Indifferens*. Cap. 13. rursum affirmat Arbitrium *Infirmatum*. Nimirum quòd minus ad bonum, quàm ad malum propensum: imo ad malum ex se pronum: quod est non esse *Adiaphoron* nec *Indifferens*. Cap. 25. docet *Inclinatum* & *Attenuatum fuisse liberum Arbitrium, ut nullus posteà aut diligere Deum sicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum esse possit nisi Gratia eum, & Misericordia Divina prævenerit.* Ubi *Inclinatum* tollit æquilibriũ *Indifferentiæ*. *Attenuatum* vim illius in utranque partẽ æquivalenti potestatis extenuat. Sanè ex his omnibus locis constat Aliquid ex eo primo Arbitrio diminutum, amissumque fuisse: nec voluntatem nostram in statu ruinæ ejusdem omnino potestatis esse. Ex alia verò parte

Concilium

Concilium Tridentinum Sess. 6. Can. 6. Anathema jacit in eum qui dicat *liberum hominis Arbitrium* post peccatum Adæ *Amissum & Extinctum* esse. Hoc assumpto ex Tridentino, & illo ex Arausicano accepto, & inter se ambobus collatis constat liberum Arbitrium in nobis non esse *amissum* nec *extinctum*: esse tamen *attenuatum*, *infirmatum & læsum*. Quâ ratione nisi quod liberum ex integro est quoad libertatem; non est indifferens cum æquali potestate? Mansit libertas, sed inclinata, sed prona in malum, id est non indifferens in æquilibrio ad bonum & malum. Hujusmodi enim potestas & indifferentia ad utrunque bonum & malum, quæ erat in Adamo *attenuata*, *infirmata*, & *læsa* est, cum ad Peccatum ex se voluntas prona ruat; ad virtutem non nisi adjuta Gratiâ conetur, uti ex Augustino summus Theologus Maldonatus in *Joannem* comment. in Cap. 6. n. 44. A quo ibi tota hæc de attenuato, & infirmato, Arbitrio doctrina explicata. Inter alia exponens illam celebrem Christi sententiam. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum. Verbum*, inquit, *Potest notarunt quidam interpretes non remotam, ut Philosophi vocant, sed proximam actui potentiam significare. Nam etiam qui à Patre non trahuntur potentiam habere naturalem, ut si à Patre trahantur, veniant, sed eam potentiam remotam esse, nec in actū reduci posse, nisi Gratia trahentis Patris adjuvetur. Quemadmodum antequam lumen ad videndum habeamus, naturalem habemus videndi facultatem, sed nisi ea facultas lumine juvetur, videre re ipsa non possumus.*

ſumus. Sic ſe prorſus habet liberum arbitrium: quæ naturalis in bonum & malum facultas eſt. Sed in malum perſe ſolum valet, in bonum non niſi Gratia juvetur. Vera hæc ſunt. Venire, &c. Et paulò pòſt manifeſte magna vi Gratiæ interdum opus eſſe ad erigendam & juvandam voluntatem pronam in peccatum affirmat. Locum infrà commodiùs dabimus l.2.

Hanc eſſe ipſam puram putam Auguſtini doctrinam, & nos antea in noſtra Cortina oſtendimus, & poſtea lib. 2. de adjutoriis oſtendemus. Nunc tantùm dicimus: Auguſtinum cum Concilio Tridentino docere ineſſe noſtris liberum arbitrium, illudque ſemper aſſerere, vel ubi maximè Efficaciam Gratiæ commendat, uti lib. de Grat. & lib. arbitr. & libris ad Bonifac. & lib. de Corrept. & Grat. ac illius libertatem adverſus Manichæos defendere: rurſumque tradere cum Concilio *A*rauſicano: hoc ipſum Arbitrium infirmatum, Læſum, captivatum, inclinatum, vitiatum eſſe: ita lib. de Nat. & Grat. c. 43. & 48. & in Pſal. 136. & Epiſt. 107. & lib. de Perfect.. juſt. c. 4. & lib. 1. ad Bonif. c. 2. & ſæpe aliàs, atque adeo amiſiſſe il'am in utranvis partem liberam cum æquali indifferentia poteſtatem, quam habebat Adamus, & magnam ille ſolet libertatem appellare, & quam *periiſſe* dicit. l. 1. ad Bonif. c. 2. *per peccatum* qua de re nos latè in quæſt de neceſſitate & libertate peccandi ac enucleatius egimus. Itaque ſecundum hanc Auguſtini & Conciliorum doctrinam judicandum *libertatem indifferentiæ* omnino in illo puncto æquamenti

menti in utranvis partem æque liberam consistere: quod Adæ proprium fuit: sed post peccatum ex eo statu inclinatam, & pronam in malum propendisse: non tamen idcirco libertatem amissam extinctámque: sed manere ac constare, & suas habere inclinationes in utranvis partem: naturâ in malum ruente, Gratiâ in bonum trahente: quibus tamen potest resistere liberè quidem, sed non indifferenter; proinde que posse dari libertatem *Resistentiæ*, sine libertate *Indifferentiæ*. Inter quas si distinguamus, apparebit modus operandi tum Gratiæ Efficacis, tum Concupiscentiæ vehementis: quarum motus in nobis sæpe contrarios experimur cum diversis inclinationibus, & quidem non exiguis voluntatis. De quo Augustinus lib. 1. ad Bonifac. a. c. 9. ad 12. c. 18. & 19. & in Epist. ad Galat. & Serm. 6. & 17. de verb. Apost. & lib. de Contin. c. 3. & lib. de Spir. & Lit. c. 18. & tract. 26. & 41. in *Joannem*. & Psal. 106. & 137. & alibi sæpiùs. Positâ enim Gratia Efficaci in voluntate manet hæc ad bonum propensa & inclinata, non uti ante gratiam erat ad malum aut prona, aut indifferens æquè ad bonum & malum: atque adeo amittet, illud vel pronum ad Peccatum, vel adiaphoron ad utrumque, Peccatum & virtutem, si quod est in natura lapsa, nam acceptâ Gratia aliquid quod non habebat recipit, et aliquid ex eo statu in quo erat amittit; non desinet tamen libera esse voluntas ad resistendum: contià vero voluntas stimulante concupiscentiâ, vehementi accensa libidine sæpè ex statu Gratiæ ad peccădũ dejecta trahitur, & in homine peccatore manet ad libidnẽ

prona & inclinata, amissâ illâ æquali ex bilancis trutina potestate; retentâ nihilominus in peccando libertate. Ecquis verò non videt secundùm motus Gratiæ & Concupiscentiæ existere in nobis magnas inclinationes vel ad virtutem, vel ad vitium: alioqui si voluntas ad illos pulsus vehementes maneret Indifferens, quid in ea concupiscentia accenderet, quid Gratia restingueret minimè appareret.

Et verò si voluntas, ut sit libera, indifferens esse debet naturâ suâ: ubicunque sit voluntas libera, indifferens quoque erit: cum naturam suam non possit amittere. Hinc autem sequitur in duobus hominibus altero sūmâ vi Gratiæ excitato, altero maximâ flammâ cupiditatis accenso, eodem modo esse liberam & indifferentem voluntatem: cum ille liberè mereatur, hic liberè peccet. Quod tamen nullâ dici ratione potest. Igitur et distinguendum est Indifferens à libero: & in libero admittenda latitudo secundum magis & minus, ut ita in duobus hominibus in diversas partes penitus inclinatis, sit libertas sine æquali ex bilance indifferentiæ potestate.

Id porrò ego inducto Sanctissimi patris *Ignatij* exemplo demonstro. Constat cum ut ardentem admotis libidinis facibus juvenem à cupidine revocaret, majori accensum Divini Amoris flammâ detractis vestibus in concretam gelu paludem nudum se sæviente hyeme conjecisse. An erit quisquam qui sibi persuadeat eandem fuisse in ambobus voluntatis, & indifferentiam & libertatem, cum Ignatius Divino Amore arderet, juvenis furiali cupiditate æstuaret?

Hic

Hic penè impos sui, à concupiscentia stimulatus rueret in libidinem: ille Charitatis stimulis incitatus alienam flammam suscepto in se frigore vellet restinguere? Certe si utrumque secum comparemus: multò minus ad libidinem quàm ad Pudicitiam propensus Ignatius. Multo magis ad libidinem pronus juvenis quam ad Castitatem: ergo non erant indifferentes. Si alterum cum altero conferamus, Ignatius libertatem cum maxima ad virtutem inclinatione servabat: juvenis libertatem cum summa ad peccatum pronitate retinebat. Ac cum uterque liber esset, *Diversa* tamen alter ab altero libertate dissidebat: & in tanta libertatis differentiâ utrique tamen sua libertas constabat. Indifferentes ego eos nullo modo, liberos quidem, sed longe dispari gradu, modoque liberos fuisse existimo: nisi forte velimus tam propè esse à Castitate Ignatij juvenem, quàm Ignatium à juvenis libidine, quod, qui velit indifferentem utrunque, necesse est affirmare.

Liberum ego fuisse existimo Divinum illum, quem maxime mirari soleo, virum *Xaverium* cum Divina passus superante cordis augustias infusâ suavitate: apprehensâ utrâque manu veste, totos pectoris pandebat sinus, & fixis in cœlo oculis vix sui potens exclamabat, *Satis est Domine*: *Satis est*: indifferentem tamen eum tunc ad peccandum fuisse non puto, qui ne de peccato quidem cogitare tunc poterat: quomodo autem esset indifferens, qui non erat in proxima potestate; imo nec cum expedita Liber-

tate,

tate, cùm advertentia ad Peccatum deesset, & Divinitùs illa infusa suavitas mentem absorberet. Quòd si recurrant ad physicam potentiam, nemo certè negabit integram eam & inviolatam manere; sed non de hac opinor, sed de morali libertate ut aiunt, & potestate ad operandum in actu primo constitutâ loquuntur: nam illa physica & remota etiam cum Prædeterminatione physica, imo & cum necessitate stare potest. Quomodo autem voluntas posita in actu primo ad agendum, possit eo momento esse indifferens, & adiaphora ad agendum oppositum, cum non possit esse in actu primo ad duos actus oppositos, nec duo proxima ex adverso judicia practica contrarios actus dictantia habere, intelligi certè non potest; nec quomodo ad negationem & suspensionem actus, ad quem est expedita & proposito aptè objecto prona, & judicio practico inclinata, sit æquè indifferens, cum ad suspendendum eum nihil proximè concurrat, nec pro tunc possit concurrere, nisi fortè in eodem momento est capax actus & contradictionis ejus. Adde sæpe nos ita unum agere, ut non advertamus ad alterum, imo nec ad continendum actum advertimus, & nulla, opinor, sine advertentia libertas sit. Unde apparet voluntatem cum est in actu primo liberam quidem esse, sed dum in eo ést indifferentem ad oppositum, vel negationem illius esse non posse.

Et quidem consideranti mihi hanc distinctionem Indifferentiæ, & libertatis, & latitudinem liberi secundum magis & minus, inclinationesque & momenta

menta in utramque partem voluntatis intra libertatem, persuasissimum est hac ratione conciliari posse Efficaciam Gratiæ cum libertate Arbitrij: eamque ejus concordiæ *Clavim* esse existimo. Nam, si semel distinguatur Indifferens à libero, poterit Gratia Efficax in voluntate eos motus & inclinationes efficere, quæ indifferentiam tollant, & relinquant libertatem: maneatque ista inclinata non necessitata; ac in ea inclinatione appareat, quid in ea Gratia operetur, & quid ea operatura sit virtute Gratiæ moventis & inclinantis, non necessitantis; retentâ semper libertate *Resistentiæ*, non *Indifferentiæ*. Et hanc distinctionem ex Augustino, summo meo studio curaque depromptam, longè meliorem esse puto quàm *Scientiæ Conditionatæ* ad consensionem Arbitrij cum Gratia componendam, rationem. Imo nec ipsam existimo *Conditionatam Scientiam* cum indifferentia voluntatis & Gratiæ posse consistere; & hunc ei modum prorsus necessarium esse credo, ut certa & infallibilis evadat, cùm ex illis inclinationibus pronæ voluntatis possit, quò sit ventura cognoscere: nam certè durante illâ & Gratiæ & libertatis indifferentiâ, non poterit Scientia certa & determinata existere: etenim de objecto indifferenti & indeterminato constans & definita notitia haberi non potest. Qua de re ego aliàs ex professo disputabo, nunc tantum indico & propono, occasione usus, quam præbuit Censura Pontificis, in qua observatis terminis video illam innuisse distinctionem libertatis *Resistentiæ* & *Indifferentiæ*.

Summam conficio. Pontificem censere, Hanc Propositionem quoad utramque partem esse Falsam, & Hæreticam. Nam prima pars universim negat Semipelagianos meritum in nuda natura posuisse, cum quidam posuerint : & affirmat eos cùm Gratiam admitterent, *Prævenientem* admisisse, cùm Comitans ea tantùm non *Prævia* vel *Præveniens*, imo & pedisequa voluntatis fuisset. Secunda vero affirmat in eo *Hæreticos* esse, quòd dicerent *Gratiæ* posse *Resisti* & *Obtemperari*, cùm id dicere, Catholicum sit.



ARTIC. VI.

Quinta Propositio : & illius Censoria nota consideratur.

HÆc ita concepta : *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Ita censetur : *Falsam Temerariam, & Scandalosam : & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute tantùm Prædestinatorum, mortuus sit : Impiam, Blasphemam, Contumeliosam, Divinæ Pietati derogantem & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Divino Consilio de hac propositione hujusmodi judicium Pontifex tulit, omnino necessarium & appositum ad componendam gravissimam super ea toties excitatam controversiam. Ea cum Semipelagianorum errore orta est : deinde cum quiésset, renovata est Seculo nono à Gotteschalco, & Erigena. Tandem nostris temporibus à Lutheranis & Calvinianis suscitato Manichæismo, & ab Arminianis, & Socinianis & Remonstrantibus invecto Semipelagianismo recruduit. Prædestinatianos interim omitto,

dum de illis certiſſimè inquiro, etſi propè ſim ut nullos uſquam eos fuiſſe exiſtimem.

Occaſio Controverſiæ fuit Prædeſtinationis ratio, quam uti quiſque ponebat vel gratuitam, & à meritis independentem, vel debitam & meritis addictam, ita de Redemptione Chriſti ſentire videbatur: ac ex alterius ſententia errorem formabat, quem alteri impingebat. Primi omnium Semipelagiani, male intellectâ & improbatâ Auguſtinianâ Prædeſtinatione, objecerunt ex ea ſequi Chriſtum non eſſe univerſorum hominum Redemptorem: uti patet ex Epiſt. Proſperi ad Auguſtinum & ex libro Object. Gallor. & Vincent. Nec tantum Semipelagiani olim id Auguſtino & diſcipulis objecere, ſed Catholici etiam hodie Doctores Auguſtinianæ doctrinæ Sectatoribus idem objiciunt. Contra vero hi ut par pari reddant quod mordeat, oppoſitæ ſententiæ authoribus exprobrant errorem Semipelagianorum; quòd Gratiam & ſanguinem Chriſti dum communem inducunt, ex æquitate debitum faciunt. Quanquam pauciſſimi Catholicorum negent Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe; Hæretici id omnino negant. *Lutherani Calviniani* & & Sequaces: imo contrarium tanquam errorem Adverſariis impingunt, *Socinianis*, *Arminianis*, Remonſtrantibus, qui omnino pro Redemptione univerſali pugnant, & *Lutheranos* & *Calvinianos* quòd eam tollant exibibant & proſcribunt. Patet ex Diſput. Arminij contra *Perkinſium*, & Synodalib. Remonſtr. & Moſe Amiraldo Tom. de Grat. Univerſ. & ex Præfat. ad illum.

In-

In hac ergo Controversia *Jansenius* negavit Christum mortuum esse pro omnibus: imo & addidit affirmantem Propositionem Semipelagianorum errorem esse. Ita lib. 3. de. Grat. Christi. c. 21. & lib. 7. de Hæresi Semipelag. c. 15. & in Paral. nota. 14. Quam Censuram miserabilis Synodus Dordracena *Calviniana* impio Decreto anteà tulerat c. 2. a. 6. Eamque probant Principes illius Sectæ Molinæus, Sarisburiens, Kimedoncius, Amesius cum aliis plurimis quos citat in Coron. ad Collat. Hagiens. & in Animadvers. Synodal. adversus Remonstrantes Universalem Christi Redemptionem asserentes.

Censuram hanc *Jansenij* damnantis hujusmodi Propositionem *Christus mortuus est pro omnibus*, ac dicentis eam esse Semipelagianam, Innocentius summâ ratione & justissimâ exaggeratione proscribit. Sed videndum quis sit proscribentis damnantisque sensus. Nam constat Semipelagianos dixisse, *Christum pro omnibus mortuum esse*. Imo & tam id sensisse, ut vellent, qui id Catholici verum esse negarent eos prorsus errare; atque ex eo errore eorum de Prædestinatione sententiam reprehenderent. Patet id ex verbis Prosperi in Epist. ad Augustinum. *Pro universo autem hominum genere mortuum esse Dominum Jesum Christum, & neminem prorsus à Redemptione sanguinis ejus exceptum: etiamsi omnem hanc vitam alienissima ab eo mente pertranseat, quia ad omnes homines pertinet. Divinæ Misericordiæ Sacramentum.* & ex Object. 9. Gallor. & 1. Vincent.

Igitur Semipelagianum fuit dicere *Christum pro omnibus mortuum esse.* Quâ ergo ratione à Pontifice istud damnatur?

Verùm non damnat Pontifex *Jansenium* quòd dicat Semipelagianos ita sensisse, sed quòd dicat Semipelagianum esse errorem affirmare Christum pro omnibus mortuum esse. Nam is non error est Semipelagianus, sed communis Ecclesiæ sensus: imo nec in eo Semipelagiani errârunt: non enim cuncta Semipelagiana placita errores sunt: cum in multis rectè sentirent, vel ipso Augustino teste, lib. de Prædest. Sanctor. c. 1. nam & agnoscebant *P*eccatum Originale & maculâ eo inustam, & necessitatem Gratiæ *P*rævenientis quæ ibi Augustinus recenset. *P*ræterea non errabant sentiendo Deum habere voluntatem generalem omnes homines salvandi. Etsi enim contra Augustinus sentiret, tamen ille sensus tutus erat, & multorum anteà & posteà *P*atrum, Scholasticorumque hodie communis, qui ita sentiunt, imò & ita sentire Augustinum volunt. Itaque minimè errabant affirmando Christum pro omnibus mortuum esse. Quare, quod ne in illis quidem error erat, in aliis certè Catholicis error esse non potuit. Imo nec in Remonstrantibus & *Arminianis* damnari is articulus debet qui in eo cum Catholicis consentiunt. Quid enim magis receptum magisque celebratum in Ecclesiis & Academiis, quam Christum pro omnibus mortuum esse? quid firmatius locis Scripturæ, præsertim Novi Testamenti.

Pauli

Pauli & Joannis. Quid à Conciliis expressiùs definitum? Quid munitius authoritatibus Patrum? Quid validiùs probatum argumentis Scholasticorum? Quid sæpius, & ardentiùs inculcatum in concionibus? Quid tritius domesticis & forensibus sermonibus, ut nemo sit cui contraria sententia horrorem non incutiat? Nec opus est Authores citare; satis sit videre Antijansenistas qui plures suppeditabunt. Ego unum locupletem ex aliis dabo qui thesauri instar esse possit. Isaac. Habert. 2. p. Defens. Fid. a. c. 9. Itaque summo jure Jansenij censura taxatur & exploditur.

Veniamus ad aliam partem quæ plus doctrinæ & aliquantum difficultatis continet. Ait Pontifex, *Et intellectam eo sensu Ut Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, Divinæ Pietati derogantem & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Magnus sit error oportet, qui tot notis afficitur. Error vero is est, Dicere Christum pro Prædestinatis tantùm, non pro ullis alijs mortuum esse. Et quidem nollem tam in hac re turpiter lapsus esset Jansenius, qui durissimo ore lapides loquitur; adeo ut caput illud 20. lib. 3. concludat asserendo *Christum non magis Patrem pro salute eorum qui non sunt Prædestinati, etiam Fidelium orasse, quam pro diaboli liberatione.* Quod horribile dictu est: cum præsertim anteà dixisset Christum Fidelibus non perseverantibus Fidem, & multa beneficia Gratiæ meruisse: quæ meruit, ac certè ex animo salvandi eos ea procuravit te

sanguinem

ſanguinem pro ijs ſuum fudit. Nam videmus plurimos eorum in Charitate diu manſiſſe, & multa præclara virtutum documenta dediſſe, ac in Fide uſque ad mortem perſeverâſſe : quæ ſanè à Chriſto acceperunt, ac niſi per eos ſtaret, profectò ejus ſanguinis fructum cepiſſent. Pro his ergo Fidelibus ad Eccleſiam vocatis, imo & in Eccleſia ſed in peccato lethali mortuis mortuum Chriſtum eſſe, nemo Catholicus dubitabit : idque nunc Pontifex definivit : dum dixit Impium & Blaſphemum eſſe dicere pro ſalute duntaxat Prædeſtinatorum mortuum eſſe ; docens etiam pro Reprobis mortuum fuiſſe. Sanè tam abſurda eſt illa ſententia circumſcribens ſanguinem Chriſti & addicens ſolis prædeſtinatis, ut & ipſos Principes Hæreticos pudeat ita ſentire, quemadmodum videre eſt in præfatione ad librum Moſis Amyraldi in qua numerantur plurimi ab eo ſenſu alieni, ac inter eos Petrus Martyr, Oecolampadius, Bucerus, Zuinglius Pellicanus, Bullingerus. Quod ergo hi auſi non ſunt, quis Catholicus dicere audeat ?

Igitur Pontifex divinum ex Cortina Apoſtolica fundens oraculum, Hæreſim illam, & Blaſphemiam eſſe pronuntiavit : ac illud de Fide tenendum declaravit, *Chriſtum non pro ſalute duntaxat Prædeſtinatorum mortuum eſſe.*

Et quidem negari omnino nequit, pro omnibus Fidelibus etiam non Prædeſtinatis mortuum eſſe Chriſtum : cùm hi ad Eccleſiam pertineant, & in Corpore Chriſti inter membra ejus Fide animata & aliquandiu Charitate viva, & ſi demum per Pecca-

tum

tum præcisa, numerentur. Certè Concilium valen inum III. cum Canone IV. dixisset, Christum non pro omnibus sanguinis sui pretium dedisse, sed pro iis tantum de quibus dictum est. *Omnis qui credit in ipsum non pereat: Sed habeat vitam æternam.* Ne videretur ad solos Prædestinatos Redem tionem restrin isse, exposuit mentem suam de omnibus omnino Fidelibus Can. V. quòd *in omnibus Baptizatis sit vera Redemptio, sicuti sit & vera Regeneratio, & ex ipsa multitudine Fidelium & Redemptorum alios salvari æternâ salute quia per Gratiam Dei in Redemptione sua fideliter permanent: alios quia noluerunt permanere in salute Fidei, quam initio acceperant: Redemptionisque Gratiam potiùs* irritam facere pravâ doctrinâ vel vitâ quam servare elegerunt ad plenitudinem salutis & ad perceptionem Beatitudinis nullo modo pervenire.

Ac idem fuit sensus Ecclesiæ Lugdunensis in libro de tenenda Scripturæ veritate in Auctario Bibliothecæ Sanct. Patrum. tomo. 2. ubi ait: *Catholica Fides tenet & Scripturæ Sanctæ veritas docet quod pro omnibus Credentibus, & per Gratiam Baptismi ex Aqua & Spiritu Sancto regeneratis, & Ecclesiæ incorporatis verè Dominus & salvator noster sit passus.* Et ibidem. *Ostenditur pro omnibus omnino Fidelibus Christi qui fuerunt vel sunt aut erunt factam esse Passionem Christi.* Itaquè non ad Prædestinatos duntaxat virtus sanguinis pertinuit sed ad alios etiã emanavit: nam Omniu n Fide ium Redemptorem esse, nemo qui Fidelis sit dubitare queat: cum Paulus dicat 1.

Timoth. 4. *Qui salvator est Omnium hominum maximè Fidelium*: illud *Maximè* nullum sinit ambigendi locum, eo enim propria Redemptio significatur cum virtute sanguinis conjuncta quæ Omnes Fideles comprehendat in quibus non soli duntaxat Prædestinati numerantur.

Duæ hîc excitari quæstiones possunt ac debent, pro perfecta mentis Pontificiæ intelligentia. Prima utrum Christus pro omnibus omnino nullo excepto hominibus etiam Infidelibus & Paruu'is mortuus sit? Altera pendet ex ista. Cur nunc Pontifex id non definivit sed tantùm negavit: *Pro Prædestinatis duntaxat mortuum esse.*

Quoad Primam conclusio sit. *Christum pro Omnibus nemine excepto, hominibus etiam Parvulis & Infidelibus mortuum esse.* Eam probare modo nec oportet, nec decet: ne actum videar agere: cum omnia occuparint clarissimi Jansenij Antagonistæ quorum ego vel gloriæ inviderem, vel scripta compilarem. Satis erit lectorem ad aliquos eorum remittere (nec enim sunt omnes ad manum) & locos unde argumenta petant indicare Antonin. Mora nes d. 26. *S.* 5. a. 7. Francisc Annat. lib. 2. c. 5. & lib 4. c. 5. Thom. Augustin. lib. 2 toto cap. 16. per. 19. articulos uberri mè, & accuratissimè. Addo Suar. tom. 2. de Grat. l: 4. c. 10. et Vasq. 1. p. d. 96. c. 1. & 3. Maldon. in Joan. c. 17. n. 9. à quibus ea argumentis à Scriptura, Conciliis, Patribus, Scholasticis veritas probatur. His tamen ego ita subscribo, ut uno testimonio & altero argumento abstine-

am quod utrunque sit ab Augustini mente alienum. Nam locum celebrem Pauli 1. Timoth. 2. *Deus vult omnes salvos fieri.* Unde colligunt fermè omnes (ut Vasquium excipiam) universalem Dei de salute omnium voluntatem: & argumentum Gratiæ omnibus oblatæ non possum aliter exponente & sentiente Augustino ad eam veritatem probandam adhibere: Nec opus iis esse constabit ad Generalem Redemptionem astruendam: nec decet ut quam infra monstrabimus Augustini sententiam esse eam alienis ab illius doctrina rationibus confirmare. Cætera & testimonia & argumenta recipio. Et Christum omnium prorsus hominum Redemptorem esse confiteór.

Nunc ad propriam quæstionem venio. Si Christus pro universis hominibus mortuus est: Cur Pontifex occasione usus non id absolutè latá Censurâ pronuntiavit? Sed tantùm censuit non esse id Semipelagianum dicere: & deinde statuit hæreticum & blasphemum esse dicere *Christum pro solis Prædestinatis mortuum esse.* Ut tantum liberasset errore eum qui priorē sententiā teneret & erroris damnasset eum qui secundæ adhæreret: unde non manet simpliciter de Fide definitum ex vi Bullæ præsentis Christum pro omnibus mortuum esse. Sed tantùm esse liberum ab omni nota. Et illud pro blasphemia & hæresi habendum Christum pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuum esse. Quare qui dicat Christum non pro salute duntaxat Prædestinatorum. *Sed etiam pro aliorum Fidelium Reproborum*

ſalute mortuum eſſe; nec hæreticus, nec blaſphemus eſſe videtur: etſi taceat de infidelibus & Paruulis ſine baptiſmo decedentibus. Atque hinc nova controverſia exiſtere poteſt. Utrum qui dicat *Chriſtus non pro ſalute duntaxat Prædeſtinatorum mortuus eſt. Sed etiam pro ſalute aliorum Fidelium Reproborum. At non eſt pro Infidelibus nec pro Paruulis ſine baptiſmo in uteris matrum & ubi applicari baptiſma non potuit decedentibus mortuus.* Virtute hujus Bullæ hæreticus & blaſphemus futurus ſit?

Quod ad *P*rimum attinet reſpondeo. *P*ontificem Divino ſpiritu afflatum id tantùm voluiſſe definire quod inter Catholicos omnino extra controverſiam eſſet: ne involueret opinionum quarundam probabilium condemnationem, quæ nexæ ſunt cum objecto illius propoſitionis: de quibus innoxiâ Fide diſceptatur. Quæ autem illæ & cujuſmodi ſint aperio. Prima eſt de vniverſali ſalvandi omnes Dei voluntate: quam ad affirmandam illam univerſalem Chriſti Redemptionem *A*uthores ejus ſententiæ communiter afferre ſolent: ac de ea locum *P*auli 1. Timoth. 2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri.* Intelligi volunt: nec alio modo exponi patiuntur. *S*ecunda eſt de communi Gratiâ ſufficienti omnibus hominibus oblatâ & nemini denegatâ. Quæ quidē volun as, & de ea loci expoſitio ac juxta eam univerſalis Gratia qu mvis Græcorum primùm atrum fuerit, fuit deinde à Pelagio & Juliano & poſt eos à Semipelagianis avidiſſimè arrepta, & ad ſuos tuendos

fovendos

fovendosque errores conversa & accommodata: ab Augustino tamen, & Prospero & Fulgentio & aliis Gratiæ Patronis, uti suspecta à Semipelagianis reddita, improbata. Postea à Rabano, Hincmaro, Joanne Scoto Erigena & Asseclis adversus Gottelchalcum Monachum restituta. Sed nihilominus à Remigio, *Prudentio*, Floro, Lupo Servato, & Ecclesia Lugdunensi rejecta. Aliquot post seculis cum placuisset Scholasticis florere cæpit tranquillis præsertim Ecclesiæ temporibus cum *Pelagianæ* hæreseos studia refrixissent. Non defuere tamen Augustinianæ doctrinæ amatores qui cum *Richardo*, *Gabriele*, *Gregorio* Ariminensi traditam ab Augustino sententiam tuerentur. Superiori seculo *Luthero* & *Calvino* Manichæismum suscitantibus & restituentibus & necessitatem fatumque *Priscillianistarum* sublatâ libertati arbitrij invehentibus majori consensu Scholastici illam generalem Dei voluntatem, & universalem ex ea Auxilij Sufficientis Gratiā receperūtam: quòd ea invaluit opinio, ut cum communi Gratia communis fuerit quod eâ maximè adversus hostes Romanæ Ecclæsiæ, & humanæ libertatis uterentur. Non tamen est Augustini deserta sententia, sed ea gravissimis Authoribus placuit Abulensi, Caietano *Driedoni*, Roffensi, Ruardo, Cælio, Vanino, non sine numine, cum postea Sociniani, Remonstrantes, Arminiani Semipelagianismo inducto illam Generalem Dei voluntatem & Gratiam adulteratam Semipelagianorum erroribus suscitarint: ac ejus prætextu Prædestinationem ex

et Fulgentium. Maldonatus in *Joannem* c, 1. n. 9. & c. 6. n. 45. & c. 12. n. 32. docens Bedam cum *A*ugustino sentire.

Quos ego duos *A*uthores Societatis synceri video esse judicij, ac fideliter citare *A*uthores, eorumque mentem sine fuco proponere, ac quid omnino sentiant candidè dicere: non ut alij solent, qui inani quadam specie pietatis corrumpunt, & detorquent, ut meliora videantur sensisse, si tamen meliora sunt ea quæ ipsi iis volunt attribuere: & honestius est prætextu pietatis in veritatem peccare. Hos igitur duos Authores Vasquium & Maldonatum severos & rigidos Suario qui mollissimus est, & Antijansenianis fortiter opposuerim. Qui ut Augustinum benignè interpretando excusent, & in suas partes trahant negant ejus sententiæ Authorem fuisse. Sed ij sunt potius benignè accipiendi, dum Augustini mentem unius fluxi loci authoritate ducti, detorquent, ne tanti Doctoris patrocinio destituti videantur. Et quanquam (utor verbis Maldonati in Joannem c. 6. n.44.) *is Author sit Augustinus ut ejus sententiâ solâ Personæ reverentiâ magnam authoritatem mereatur*: volo tamen & socios dare, qui cum eo sentiant; eo duce dignos. Magnum inprimis Gregorium l. 6. Moral. c. 2. & l. 37. c. 2. Remigium, Anselmum, Bedam, & D. Thomam in locum Pauli. *P*rosperum l. de in grat. c. 30. & 31. & in Epist. ad Ruffin. & lib. 1 de vocat Gent. c. 16. & 22. & l. 2. c. 20. & 21. Fulgentium lib. de Incarnat. & Grat. c 31. Prudentium Episcop. Tricast. l. 2. de Præ.est. Rhatramnum, & Florum

Florum & totam Ecclesiam Lugdunensem cum Remigio adversus *Joannem* Scotum Erigenam lib. de tribus Epist. & in lib. de ten. Script. in Auctar. Bibliothecæ Sanctorum *P*atrum Tomo. 2. & ibi Concilium Valentinúm: quæ opera ab hinc triennium in Lucem edidit Gilbertus Mauguinus: Lupum Servatum 2. quæst. de *P*rædestin. Gregorium *A*riminensem. in 1. d. 46. q. 1. addo

Cælium lib. 2. Justit. c. 8. & lib. 4. c. 24. Cæsarem Vaninum. Exercit. 16. ubi hanc Generalem erga Omnes Dei voluntatem, & commune ex illa Gratiæ Sufficientis *A*uxilium multis argumentis impugnat: ait que *se Scholasticorum distinctionibus hac super re nec assentiri, nec assensurum, donec sancta Ecclesia Romana Ecclesiarum mater eas confirmarit: nec dissentit Guilielmus Estius in Paulum.* In eadem sententia esse debent omnes quicunque universalem Gratiam negant, eaque carere aliquot hominum affirmant: nam testè Vasquio 1. p. d. 97. c. 3. n. 17. *Si aliqnibus Deus Auxilia Sufficientia negaret sequeretur nullo modo salutem eorum desiderare.* Ij vero sunt *Richard.* in 1. d. 46. q. 1. a. 7 *Gabriel* in 4. d. 4. q. 2. a. 3. dub. 2. D. Thom. in 4. d. 6. q. 1. a. 1. q. 1. ad. 1. Driedo de Capt. & redempt. gen. hum. tract. 5. c. 3. indicat domin. Soto de nat. & Grat. c. 10. in fine. qui nullum dari sufficiens auxilium infantibus in materno utero morte sublatis vel ibi ubi applicari Baptismus non potuit morientibus, affirmant. Cujus sententiæ author est Vasquez: tantus vir ut magnum secum pondus afferat. Nam hic in ea disput. 96.

de

de Parvulis quæstionem excitans : *An Deus iis Auxilientia sufficientia providerit ?* cap. 2. cum Authoribus quos proximè adduxi sentit *Quibusdam Parvulis non fuisse ullo modo à modo à Deo concessum posse humanâ diligentiâ applicari sufficientia remedia sive editis in lucem, cùm aqua non conceditur, sive in utero Materno vi sola naturæ morientibus.* Atque.n. 5. §. Ratione *Ubi ergo Deus eis providit remedia sufficientia? quæ aliorum curâ ipsis applicari possent? Dicunt adversariij: in causis naturalibus quæ ex se sufficientes erant, ut parvuli in lucem ederentur, & baptisma reciperent; at vero quia Deus permisit aliis contrariis causis eas impediri, ideo non potuerunt parvulis remedia prodesse: non quòd ex se Deus expressè voluerit applicationem remedij impedire. Cæterum effugium hoc inutile est. Sumum quia licet Deus solum permisisset partum infantium causis naturalibus impediri, hoc satis erat ut diceremus remedia sufficientia quæ humanâ diligentiâ possent, applicari parvulis non confessisse, quanvis expresse ea non negasset. Deinde quis audeat dicere ordinem illum causarum, qui partum infantis impedivit, vel in tali tempore & loco natum interemit, non fuisse speciatim, & minutim à Deo præstitutum, & ordinatum? Nam si ex duobus passeribus qui asse væneunt, unus ex illis non cadet in terram sine patre vestro? Matth.* 10. *Quis asserat aliquos parvulos, aut in utero materno, aut extra sine Dei providentia ita ordinante interire? Cum enim omnium rerum & eventuum præter peccatum Deus sit author, voluntate & providentiâ suâ negari inquit mortem infantis ne*

in utero, vel extra tali loco, & tempore ab eo fuisse præfinitam non solum permittente & sinente agere causas, sed etiam ordinante & volente. Quare non dubito manifestè eos falli qui hanc seriem causarum Divinæ permissioni, non voluntati & ordinationi adscribunt. Et paulò pòst n. 8. *Censeo,* inquit, *priorem fuisse* in Deo *voluntatem, negandi remedia, & ad hoc causas naturales disposuisse* : & absolutè cum Augustino pronuntiat, Deum non solum non voluisse salvari hos parvulos, sed noluisse: & solvens quem sibi c. 1. opposuerat locum Pauli 1 Timoth. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri,* cum altero 2. Reg 14. *Ait Duo scripturæ testimonia ex quibus colligimus Deum primaria & antecedenti voluntate desiderare omnium salutem de adultis solum intelligenda sunt.* Sunt verò ea quæ nunc adduximus. Non negat tamen Vasquez Christum pro iis mortuum esse, imo affirmat n. 11. & rectè : quemadmodum nos infra dicemus.

Eò hæc attuli ut pateat quanto jure Pontifex censuram intra illos terminos continuerit : nam si extenderet ad omnes, etsi hanc sententiam negantem universalem Dei voluntatem & Gratiam ex ea communem non damnaret, occasionem præberet iis qui existimant pro quibus Christus sit mortuus, iis Auxilia illa ex ea voluntati generali præstò esse, debere dicendi. contrariam Augustini, & tot Patrum & doctorum sententiam condemnari. Ac id ipsum *Arminiani* ac Remonstrantes avidissimè arriperent, ut Augustino ejusque discipuli, quorum

jurati

jurati sunt hostes, exprobrarent. Quod omnino cavendum fuit. Nam *Arminius* quo nullum acriorem Semipelagianum, neque acrociorem Romani Pontificis hostem fuisse lego, dum suam ex meritis prævisis opinionem Prædestinationis tuetur, generalem illam & voluntatem & Gratiam ita asserit, ut *A*ugustini utranque negantis, sententiam refutet, dicatque eam esse omnibus Protestantium Ecclesiis contrariam, quemadmodum habet in Declarat. suæ sentent. & in Examine Prædestin. *Perkins.* ubi ait: locum *Pauli:Deus vult omnes homines salvos fieri* universaliter esse accipiendum: & opponens sensum *A*ugustini aliter exponentis *Non stamus*, inquit,*illius Authoritate.* Hanc igitur ille abusus Decreto *P*ontificio irrideret, ac cum eo Remonstrantes, qui in Synodalibus suis thesibus *A*ugustini sententiam impugnant: nec minus *A*ugustino, contra Ecclesiam Romanam sentienti, quam Pontifici Summo *A*ugustinum in ea sententia proscribenti (sic enim apud se rem fingerent)insultarent.

Prxterea noluit *P*ontifex (cum posset) definire absolutè,& universaliter *Christum pro omnibus mortuum esse*: fortè respiciens ad Ecclesiam Lugdunensem & Concilium Valentinum, & Lupum Servatũ ac illius temporis Catholicos Doctores, qui sanè dubitarunt, *A*n mortuus esset pro Infidelibus, iis præsertim qui in profundissima mersi barbarie parum certè à pecudibus distant, & ferino more vitam degunt.

Qui non modo nullâ Christi Redemtoris, sed

ne Dei quidem Conditoris ſunt luce perfuſi: atque adeo idola tantum coluerunt, & pluſquam cymmeriis oppreſſi tenebris perierunt. Quorum certè, multorum judicio, par penè ac infantium quibus applicari baptiſma non potuit, habenda eſt ratio: & ſanè ante natum Chriſtum & Apoſtolorum ad gentes miſſionem, quot hujuſmodi extitiſſe putandum eſt? cùm poſt eum tot ſeculis natum exploratis à Luſitanis Hiſpanisque Indiis inventi fuerint barbari, qui faterentur nunquā de Fide Christi, imo nec Animæ immortalitate, ſaluteque æterna, ac ne de Deo quidem uno quicquam inaudiſſe. Quorum multi adeo à ratione, habituque humano abhorrebant, ut eos Hiſpani, homines eſſe negarent, & in pecorum numero haberent, uti ex Hiſtoriis conſtat: nosque in *Philippica* & Propugnaculo Luſitano Gallico narravimus. In quos qui intueatur, eorumque ignorantiam, & cæcitatem attentius conſideret, & nobiſcum qui in media Fidei Luce verſamur, conferat, comperiet, quantum inter nos & eos Deus voluerit intereſſe: ac inde colliget eos, præ nobis, abjectos quodammodo, & derelictos videri: ita ut ægrè apud eos Auxilia ſufficientia inveniri queant. Nam quid quæſo Auxilij Gratiæ ſuppetit iis, quibus nulla unquam lux Fidei irradiavit? qui ſemper idola coluerunt, qui nihil niſi præſentia & caduca cogitarunt, qui beſtiarum more obtuſo rationis lumine in ſylvis agunt, truncis quàm hominibus propiores? Equidem ſæpe ego mecum iſta ac ſeriò agitans, & cogitata cum aliis qui inter

eos

eos vixerunt, & apud eos Evangelium prædicarunt conferens, reperi, multos ſine ulla Dei non modo Servatoris, ſed etiam Conditoris notitiâ vitam tranſigendo mortuos fuiſſe; ad quos certè neſcio per quas rimas Lux ſupernaturalis Fidei, ſine qua ſalus eſſe non poteſt, penetrâvit? *S*anè ſi æquitas & miſericordia Dei volentis omnes homines ſalvos fieri cauſa eſt dandi omnibus gratiam ſufficientem, quomodo in ea danda ut tanta diverſitas eſt, nobis Catholicis tantum, tam parum hæreticis, tantò minus Judæis, & Mauris, tam penè nihil barbaris gentibus concedatur: ut cum hac tanta diverſitate vix illa æquitas poſſit conſiſtere, imo in hac ipſa comparatione judicia potius Divina, quàm miſericordiæ locum vendicent. Nam cùm omnes pares Naturâ ſimus, cur tam gratiâ diſpares erimus? ut nos Luce uberrimâ perfuſi in medio Sole verſemur, illi denſiſſimis obruti tenebris in altiſſima nocte caligent. Quod ſi nos cum noſtris Auxiliis ſufficientibus proximis & expeditis à ſalute deficimus, quomodo illi cum remotiſſimis ac impeditiſſimis ad eandem nitantur? aut quomodo erunt ſufficientia, quæ tantum diſtant à noſtris ſufficientibus? Certe exiſtimo ſi nos hæc illis barbaris diceremus, primùm eos non intellecturos; deinde cum intelligerent, nos quodammodo irriſuros, quòd ejuſmodi auxilia ſatis ſuis majoribus fuiſſe ad ſalutem æternam conſequendam diceremus: imo & de Deo qui pares eos natura nobis feciſſet tamque diſpares gratiâ eſſe voluiſſet, conqueſturos. Satius erit ad *P*eccatum Origi-

nale, quod est privatio totius gratiæ, quod illi contraxerunt, cui alia saltem venialia addiderunt cum Augustino recurrere&, ad judicia Divina justa, sed occulta provocare, & cum Paulo exclamare. *O altitudo divitiarum!* & *O homo tu quis es qui respondeas Deo?* ac exemplo Figuli inspecto obmutescere: & gratias Deo agere quòd tam nos ab iis distare voluerit, quos si eâdem luce perfunderet, eâdem flammâ accenderet, multò nobis melius vocanti Deo responderent.

Non eò hæc dico, quòd aut omnino negem barbaros omni prorsus Auxilio destitui: aut *Christum pro illis mortuum esse*, nam hoc secundum affirmo: primum in medio relinquo: sed ut rationem reddam, cur Ecclesiæ Lugdunensi visum sit difficile concedere: Christum pro infidelibus mortuum fuisse: & cur Summus Pontifex Dominus Noster Innocentius tantùm definire voluerit *Christum non pro salute tantùm Prædestinatorum mortuum fuisse*: de cæteris judicium suum sustinuisse. Maneat igitur Authore Pontifice non errare qui dicat *Christum pro omnibus hominibus mortuum esse & sanguinem fudisse*: errare autem, & blasphemare qui dicat *Christum pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuum esse*: cum id dicere hæreticum sit. Illud sub judice adhuc & indecisum manere: Erret ne qui dicat: *Christum pro quibusdam hominibus (puta parvulis, quibus nullo modo potuit applicari baptismus, & infiedilibus in media barbarie mortuis) mortuum non fuisse.*

De qua ego propositione ità sentio: cum Vasquez

quez 1. p. d. 96. c. 3. Christum pro omnibus omnino hominibus ne illis quidem exceptis mortuum fuisse: etiam supponendo eos nullum beneficium & auxilium gratiæ accepisse; nec id ad veritatem illius propositionis necessarium esse. Hoc autem verbis Vazquii dictum volo: extendendo ad infideles quod ille ad parvulos tantum restrinxit.

Cæterum tribus de causis dicere possumus Christum pro omnibus mortuum esse, qui tamen pro Dæmonibus mortuus non dicitur; primò quia communis causa erat, horum Parvulorum & Infidelium, & omnium hominum ob quam venerat, & pro qua oravit, extra quam Dæmones omnino erant. Secundò quia justè & piè credimus Christum non expressè denegasse ullis Parvulis & Infidelibus meritum suum, & à fructu suæ Passionis apud Patrem eos exclusisse, sicut Dæmones rejecit. Tertiò, quia non minus piè affirmare possumus Christum voluntate simplicis affectus omnibus Parvulis & infidelibus nemine excepto etiam post peccatum primi parentis salutem desiderasse, sicut sibi ipsi vitam concupivit: atque ita pro omnibus orasse ut salutem consequerentur, sicut pro se, ut liberaretur à mortè, sed cum ea conditione, quam orationi pro se factæ adjecit, verum tamen non mea voluntas, sed tua fiat.

Hanc sententiam Vasquij hisce verbis conceptam & propositam paucis mutatis integro sensu in mea ego Cortina antequam in Vasquium inciderem secutus fueram: est que illa ex Augustino & Prospero desumpta: nec mirum est me quoad sensum eorum cum Vasquio convenisse: illud mihi gratulor

Chriſtus in horto mortem uti homo exhorruit, & mori certè ſimplici affectu *velleitatem* putà, noluit; Sed efficaci voluntate ad Patris ſe voluntatem accommodante mori voluit: quæ duplex quodammodo voluntas ſibi ipſi contraria, ſecumque pugnans fuit: adeo ut ipſemet Chriſtus dixerit: *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Et *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Quo exemplo inducto apparere potuiſſe Chriſtum aliquid velle voluntate humana quod nollet Divina, opponendo ſe ſibi, & Divinæ: cum tamen Divina ſibi nunquam poſſet opponi, & pro omnibus mori velle ſimplici quodam affectu, quos Pater ne eo quidem modo ſalvos eſſe voluiſſet: ac poſtea aliâ voluntate efficaci, id tantum quod Patri placeret voluiſſe. Itaque concluſi ſanguinem Chriſti pro omnibus oblatum, ſed à Patre non pro omnibus acceptatum fuiſſe. Atque hoc in Auguſtini doctrina, & eorum qui ipſum ſequerentur omnino ſtatuendum eſſe. Hæc ego tum ante lectum Vaſquium ſenſeram: nunc quòd cum eo ſenſerim gaudeo, & tutiorem me à multorum argumentis eo patrono, fore ſpero: nam qui mihi locum Pauli *Deus vult omnes homines ſalvos fieri* & generalem erga omnes voluntatem objiciat: objiciet & Vazquio *parvulos* ab ea volūtate excludēti. Qui *Auxilium Gratiæ ſufficientis univerſale* ac nemini prorſus negatum opponat, opponet & Vazquio qui negat ullo modo Parvulis cui baptiſmus applicari non potuit, dari, imo ait à Deum dari noluiſſe. Qui contendat ſublatâ eâ voluntate ſalvandi, & Auxilio univerſali Chriſti generalem Redemptionem tolli, is non modo mecum & cum Vaſquio, ſed cum Auguſtino & Proſpero & tota

Augustini schola contendet : non enim necesse est ut *Christus pro omnibus mortuus sit* & dicatur, Deum voluisse salvare omnes, & omnibus Gratiam obtulisse sentire, & dicere. In eo ego à Vasquio dissentio, quòd ille Augustinum ex parte sequatur: ex parte deserat, & quidem inurbanè deserat: ego verò integer ex integro Augustinum sequar, cui tam me dedidi, ut ab eo separari nec velim si possim, nec si possim velim.

Quæret hic tamen aliquis opportunè Quę Augustini mens super hujusmodi quęstione fuerit? & An Censura Pontificis ei omnino respondeat? Egissem nunc de ea pluribus, nisi in mea Cortina id ante exactissimè præstitissem. Breviter tamen dicam & novè quæ in rem sint. Igitur Thesi ultimâ 100. de Augustini doctrina statui: mentem ejus esse Christum pro omnibus nemine excepto hominibus mortuum fuisse: quanquam aliter pro Prædestinatis, aliter pro Fidelibus Reprobis, aliter pro infidelibus & Parvulis mortuus fuerit. Cujus et universalis Redemptionis, et diversæ illius applicationis in probatione Thesis rationem attuli: quæ similis est omnino ei, quam proximè adduxi, & Vasquij testimonio confirmavi. Et quidem Augustinum Authorem esse, Christum pro omnibus mortuum fuisse multis ibi locis probavi, quibus nunc abstineo: & tantum novè animadverto qui Augustinum legat ab eo plures compertum iri locos in quibus docet Christum pro Prædestinatis mortuum esse, ac pro iis sanguinis sui pretium fudisse, ita ut alios non Prædestinatos videatur excludere. Qui loci & *Jansenium* fefellerunt, & alios fallere item poterunt. Hunc ego nodum solvere statuo, non eâ vulgari destinctione Suffi-

cientiæ

cientiæ, & efficaciæ, nimirum ut pro Prædestinatis quoad Efficaciam tantùm sit mortuus: quæ cum ad alios non pervenerit; eo sensu nec mors ad illos visa est pertinere. Quem dicendi modum non improbo: Sed minus video ab Augustino expressum. Eo igitur retento, addo alium ex assidua lectione, & accuratissimâ totius hac de re doctrinæ consideratione depromptum. Augustinum cum restringit Redemptionem ad Prædestinatos agere de secunda illa voluntate Christi jam Efficaci, & supponēte volūtatē Patris acceptantis oblatum pro universis Christo sanguinem, pro solis Prædestinatis, cui Christus voluntatem suam accommodavit: Nam iis in locis jam loquitur Augustinus de Prædestinatis ut tales sunt, dati à Patre Christo ut pro iis tanquam Electis à se moreretur. Pro quibus aliter Christus mori non poterat, nisi prout Electi erant, atque adeò Prædestinati: et à cæteris discreti. Et hac quidem ratione fatendum est in Augustini doctrina, Christum suâ secundâ & efficaci voluntate Patri conformi, pro Prędestinatis mortuum esse, quæ se voluntas præcisè ad alios non extenderet. Qui modus eòdem videtur cum illo primo et vulgari de efficaci Redemptione recidere; nec id inficior, sed ille rem spectat: hic meus voluntatem, et originem et fontem continet: unde illa Efficacia emanavit. Quòd autem Christus habuerit voluntatem salvandi omnes homines, et pro iis omnibus Patri pretium sanguinis sui obtulerit, sæpe docere Augustinum eo Cortinæ loco monstravimus. Unum vel alterum testimonium nunc afferemus perspicuum, ejus universalis Christi erga omnes salvandos homines voluntatis.

Primum esto Celebris illa Augustini in *Joannem* sententia: *Quantum in Medico est sanare venit ægrotum.* Ecce voluntatis Generalis signum: *Quantum in Medico est.* Respondet huic loco de Medico alter de Medicinâ lib. de Agone Christiano c. 11. *O Medicinam*, inquit, *Omnibus consulentem.* Viden, ut eam voluntatem Remedium Generale sequatur: ut et voluerit Medicus omnes sanare et omnibus medicinâ consulere? Alterum esto: Illa increpatio l. de Symb. ad Cathecum. c. 5. quæ universalitatem continet. *O munde immunde, venit qui te redimat, & turbaris? Et hanc tu vis perdere quando ille te disposuit liberare?* Ad eam mundi partem ista pertinent, quæ Reprobos Universim continet: ac ex iis constat Christum omnes liberare voluisse, ac *disposuisse.* Qui loci nullam patiuntur expositionem: quam alij qui afferri solent ferre possunt, cum de Reprobis aut Fidelibus, aut qui credere potuerunt exponi possint.

Quòd autem Author sit Augustinus *Christum pro omnibus omnino excepto nemine hominibus mortuum esse*, certum et constans est. At omissis aliis quæ ad id probandum adduximus in Cortina testimoniis, unum tantùm ex iis afferre volo, quod sole ipso clarius est, quod etiam tunc attuli antequam apud alios Authores invenissem: et postea reperi ab Antagonistis *Jansenij* maximè celebrari, et ante me invenisse *Guilielmum* Estium, cum eum multò post editionem Cortinæ legissem, deprehendi. Libro igitur 6. contra *Julianum* instituit Augustinus densam et accuratam disputationem de

de Peccato Originali. Utrum contrahatur ab omnibus Filiis Adæ, quod negabat cum Magistris suis Pelagio ac Celestio Julianus. * Præcipua de Parvulis contentio erat, qui quod in ea ætatula incapaces et motuum concupiscentiæ, et peccatorum sint ac ipsâ innocentiâ commendabiles reponebantur à Pelagio et Pelagianis in eodem statu innocentiæ quem habuit Adamus ante peccatum. Augustinus ut istum errorem confutaret, ac probaret eos quoque illo peccato inquinari, adhibet illum *Pauli* locum *Rom.* 5. n. 8. *Commendat autem Charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est.* Sed quia *Julianus* negabat eo loco *Parvulos* comprehendi, quia termini non erant generales, et *Paulus* tantum dixerat *Pro nobis mortuus est*, scilicet *Adultis* et Peccandi capacibus, advocat Augustinus alium locum ex Epist. 2. ad *Corinth.* c. 5. n. 14. et 15. *Quoniam si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus*, ac ex eo hoc efficit argumentum. *Paulus* dicit Christum pro *omnibus mortuum esse*. et istos *omnes mortuos esse*: id est Peccatores. Sed inter istos *Omnes parvuli* etiam numerantur; nam terminus *omnes* neminem excipit: ergo si Christus mortuus est pro omnibus: mortuus est etiam pro Parvulis: et cum omnes pro quibus mortuus est, *peccatores* sint, sequitur Parvulos *peccatores* esse, non actu, ergo Origine. Hæc est argumentatio Augustini tota nixa eo quod *Christus* pro *Omnibus* omnino, nemine excepto, *hominibus mortuus est*. Quod tam certum ac firmum in Fide putavit ut tanquam infallibile.

Principium assumpserit ad probandum illam conclusionem de Fide *Parvulos* Peccatum originale contrahere. Hoc autem argumento utitur Augustinus hoc lib. 6. sæpe. cap. 1. et 4. et 5. et 12. et 13. Illud autem volo proponere quemadmodū habet lib. 6. c. 1. non 4. quomodo citari video à Moraines et *Thoma* Augustino, imo et ab Estio, etsi enim c. 4. idem re sit Argumentum, Formula tamen ejus quam afferunt, non est in eo cap. 4. sed in 1. ad med. non eo dico quod existimem eos sectari rivulos omittere fontes, sed ne quis minus in Augustino versatus locum inquirens, nec inveniens eo cap. 4. dubitet de fide vel Augustini, vel authorum atque adeo locum prætermittat.

Igitur Augustinus c. i. lib. 6. contra Julianum. *Ex isto*, inquit, *capite quod agitur consideremus* ubi ait: *Commendat autem suam Charitatem Deus in nobis quoniam cum adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est. Hoc tu, dictum exceptis parvulis vis putari. Ubi si abs te quæram si non sunt inter peccatores habendi quomodo pro eis mortuus est, qui pro peccatoribus mortuus est? Respondebis: non pro solis peccatoribus mortuum, quanvis sit etiam pro Peccatoribus mortuus. Quod quidem nusquam legis in Divinis Authoribus mortuum scilicet esse Christum etiam pro eis qui nullum habuerunt omnino peccatum. Sed attende quàm validis testimoniis urgearis. Tu dicis etiam pro peccatoribus mortuum, ego dico non nisi pro peccatoribus mortuum: ita ut respondere cogaris si nullo peccato parvuli obstricti sunt non esse pro Parvulis mortuum. Dicit enim ad Corinthios. Quoniam unus pro omnibus mortuus est. Ergo omnes mortui sunt: & pro*

pro omnibus mortuus est. Nullo modo hic negare permitteris, non nisi pro his qui mortui sunt mortuum fuisse JESUM. Quos igitur hoc loco intelligis mortuos? Nunquid eos qui de corpore exierunt? Quis ita desipiat ut hoc sapiat? Eo modo itaque intelligimus mortuos pro quibus omnibus unus mortuus est Christus: quomodo alibi dicit. Et vos cum essetis mortui in delictis & præputio carnis vestræ, vivificavit cum illo. Ac per hoc unus, inquit, pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt: ostendens fieri non potuisse, ut moreretur nisi pro mortuis. Ex hoc enim probavit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus. Impingo, inculco, inferci, recusanti. Accipe, salubre est, nolo moriaris. Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt Unde quia consequens esse voluit ut intelligantur omnes mortui si pro omnibus mortuus est. Quia ergo non in corpore; restat, ut in peccato esse mortuos omnes, si pro omnibus Christus mortuus, nemo neget, nemo dubitet, qui se non negat, aut dubitat esse Christianum.

Tam est manifestus hic locus, ut Solem è mundo tollat, qui neget eo probari Christum pro omnibus prorsus hominibus excepto nemine mortuum esse. Quòd si Solis instar locus hic est, miror quomodo eum *Jansenius* non viderit, & toto Sole ac Cælo in Augustino aberrarit: cum præsertim toties in hoc libro 6 eum inculcet. et lib. 20. de Civ. Dei. c. 6. inducat; quem admodum Estius, apud quem illum invenire poterat, commentariis in Epist. ad Corinth. observavit. Maneat ergo Augustino Authore *Christum pro universis hominibus mortuum fuisse.* Eandem esse Prosperi, ac cæterorum

Augustini

Augustini discipulorum sententiam, et ego in Cortina monstravi, et Antagonistæ *Jansenij* accuratè demonstrant.

Superest Clausula Constitutionis Pontificiæ,quæ hujusmodi est.

Non intendentes tamen per hanc declarationem & definitionem super prædictis propositionibus factam,approbare ullatenus alias opiniones,quæ continentur in prædicto libro Cornelij Jansenij.

Adversa *Jansenio* videtur hæc Clausula;nam dum ait, Pontifex *Nolle se approbare* significat aliqua in eo esse improbanda: ac idcirco maluit dicere *nolle approbare*, quàm *nolle Reprobare*. Ego ita sentio,eâ formâ prudentissimè usum Pontificem, quæ rem in medio relinqueret,et suspensionem sustinentis judicium indicaret: nam si aliter Pontifex diceret, videretur *Approbare* reliqua , quod sanè nolebat Pontifex, qui judicium continere suum, ac id significare volebat, ad id autem apta non erat illa phrasis *Non intendentes Reprobare*: nam tunc probare videretur, quod omnino indecisum manere volebat, cùm autem dixit, *Non intendentes approbare*, rem in eo statu in quo erat, id est in medio reliquit:inficiari tamen non possum minus favorabiliter egisse Pontificem,ita dicendo cum alio modo posset dicere judicium velle se suum sustinere: cum præsertim alia impingerentur ab Antijansenianis: quæ adhuc examine videntur indigere. Atque id ego existimo innuere Pontificem : Superesse,quæ examinari adhuc et ad trutinam revocari possint: ac idcirco ea nolle approbare: nam iis approbatis, nihil omnino ambiguum superesset.

Quæ

Quæ autem & cujusmodi illa sint non est meum dicere: nec si ad me attineret, dicere possem, qui hactenus (ita me Deus amet) *Jansenii* exactâ lectione abstinui: tantùm pauca quædam occasione hujusce controversiæ & judicij Legi: cætera ex aliis, id est, Antagonistis ejus agnovi. A quibus certè improbari video quædam, quæ omnino Augustini sunt: idque sum paratus si liceat, monstrare, non meo solùm, sed summorum Societatis JESU Theologorum judicio; apud quos Augustinus magnum habet pondus authoritatis. Cur autem ego *Jansenium* legere ex professo noluerim, sæpe aliàs dixi: quòd cum assiduâ lectione Augustini mentê inquisissem, & in commentarios antequã *Jansenius* lucem videret idest Anno MDCXXXVIII retulissem volui eam incorruptam, uti apud me conceperam, conservare, ac ita feci donec eam in lucem edidi. Postea cum ea jam curâ liber essem, pauca quædam *Jansenij* legi, ac iis ex eo et aliis hinc inde collectis, & cum meo Augustino Collatis comperi, in nulla harum quæ à Pontifice damnatæ sunt Propositionum me cum *Jansenio* convenisse: itaque & eas ego antè contrariis assertis in mea Cortina improbaram, & nunc damnatas à Pontifice, ipso etiam Augustino judice, ex animo & verè condemno. Cujus ego Sanctissimi Patris doctrinam, ita opinor tum proposui, & nunc defendo, ut nihil in ea, quemadmodum à me proposita est, ac defenditur esse à mente Augustini alienum, & à Romanæ Ecclesiæ sensu abhorrens adversus quoscunque qui impugnare volent, certissimis argumentis demonstrem. Itaque Augustinianus sum, idest, omnino Catholicus

licus & Romanus ſum: idque non *Romæ*, ſed *Londini* teſtor profiteorque.

Et quoniam video jam pridem in Eccleſia Dei *Janſenianos* malè audire, operæ pretium duco, qui ſint *Janſeniani*, & quatenus, examinare, ne cui innocenti ea nota immeritò inuratur. Quod maximè cavendum eſt iis, qui Antejanſeniani ſunt, qui dum *Janſenium* ejuſque librum ex integro proſcribi & condemnari volunt; ſi quis paulò mitiùs agat & moderari ſententię velit, eum continuò *Janſeniſtam* appellant, & in invidiam vocant, & Eccleſię ſuſpectum reddunt. Quod certè ſine ingenti piaculo fieri nequit. Igitur is *Janſenianus* erit, qui totam *Janſenij* doctrinam ſequatur, non qui cum eo ex parte conſentiat modò, quæ in eo ſana ſunt & tuta amplectatur. Nam & ipſi adverſarij in multis, opinor, cum eo conſentiunt. Si quis hodie Quinque has Propoſitiones à Sanctiſſimo Domino Noſtro Patre Innocentio X. damnatas probet & ſectetur, is quidem non modo *Janſenianus*, ſed Hæreticus eſt, atque multò *Janſenianis* & *Janſenio* ipſo deterior: cùm hic dogmata omnia ſua judicio Sedis Apoſtolicę ſubjecerit, illi ejus cenſuræ refragentur. Qui hujuſmodi Cenſuram admiſerint, eaſque Propoſitiones verè ac ex animo ejurarint, anathematizaverintque, parati, ſi quid circa reliquas à Pontifice Romano decernatur, accipere, & venerari, ij profectò non *Janſeniſtæ*, ſed Catholici Romani ſunt.

De aliis qui ſolà opinione judicij in cauſa *Janſenij Janſeniani* exiſtimantur, et quia minus in eum pœnæ ſtatuunt ejuſdem criminis rei fiunt, ego ſic judico. Non magis

magis eos culpandos esse, quàm eos judices, qui in conventu, causâ aliqua capitali ad judicandum propositâ mitius censent, quàm cæteri, qui gravius animadvertunt. Omnes enim judicant puniendum crimen, sed de Pœna statuenda dissentiunt. Atque ut mentem meam candidè exponam, quid & ante senserim, & modò sentiam, aperio.

Distingui oportet inter *Jansenium*, librum, & Propósitiones. Tum ego ita judico.

Propositiones quæ sint (uti jam esse constat) Hæreticæ Proscribuntor, Damnantor. Zizania sunt. Palmites sunt, in *Christo veritate* non manentes. Evelluntor, Combu█runtor.

Liber expurgator: ac expurgatus permittitor. Ne cum Zizaniis eradicetur simul & Triticum: ne propter arida sarmenta pereat vitis.

Persona *Jansenij* in tuto esto. Nam in gremio Catholicę Ecclesiæ vixit, & obiit. Communionis Catholicæ Episcopus est. Se & opus suum vivens Romani Pontificis judicio subjecit, idque Testamento Scriptum reliquit. Eo mortuo liber lucem vidit. Contumax vivus non fuit, mortuus esse non potest.

Ita me distinguere ac judicare docuit Deus, & Patres. Deus in Rubo Exodi 3. medius, ita dividebat flammam in innocuo trunco, ut spinas ambureret *Rubus ardebat & non comburebatur*. Ardebat in spinis. In Rubo lucebat. Erat enim ibi *vox Domini intercidentis flammam ignis*. Psal. 28: ut lux ad truncum, ardor ad spinas pertineret. Perinde ac juxta Clementem Alexandrinum in Protrept. ad Rubum diceret. *Quâ obedieris lucem*: *Quâ non obedieris*

eris ignem Et quidem cum Ambrosio lib. 1. Spir. Sanct. *Eo mysterio figurabatur, quòd Dominus spinas nostri corporis illuminaturus adduvenerat: non consumpturus ærumnosos, sed mitigaturus ærumnas.* Durus est & asper in opinando *Jansenius*, Rubus est, sed ita in eum sæviat Pontificius ignis, in Spiritu Sancti Fornacibus accensus, ut amburendo spinas, consumat ærumnas non ærumnosum. Fateor miti me ingenio esse: & in hac Arena libentiùs dicere *Parce ferro*, quam *Recipe ferrum*. Ita ferire volo, ut servare civem velim. Semperque ea Romani Imperatoris vox ad lictorem elatam altè securim in Rei Prætoris caput vibrantem. *I lector, excide radicem hanc placuit.* Excidantur istę, extirpentur è *Jansenij* libro: ille Civis Romanus imo & Dux servetur. Si in Amphitheatro Litterario sit qui altiùs infigat ferrum, & in viscera profundiùs immergat, is nec me socium, nec spectatorem habebit. Fruatur ille suâ, ego meâ fruar conscientiâ. Utcunque de me loquantur homines *Mihi*, ut cum Tullio ad Attic. l. 12, loquar: *mea conscientia pluris est, quàm omnium sermo.*

Ut autem appareat, quàm ego diversus à *Jansenio* opinando fuerim & quàm Catholicè ante hujusmodi Constitutionè & Augustinianæ more senserim volo hisce *Jansenij* Propositionibus damnatis, totidem meas Conclusiones opponere iis omnino contrarias: quas Anno MDCXXXVIII conceperam, & in mea Cortina Anno MDCXLVIII edideram, uti ab Augustino hauseram: antequam *Jansenium* vidissem.

Et quoniam de objecto primæ non egi, quia nunquã in *Augustino* inveni, quid Jansenio ita opinanti favere posset: imo

imo ſemper mandata eſſe poſſibilia cum Gratia Dei ex Auguſtino judicavi: incipiam à ſecunda.

Secunda Janſenij.

Interiori Gratiæ in ſtatu naturæ Lapſæ nunquam reſiſtitur.

Damnata.

Huic duæ noſtræ Concluſiones contradicunt.

L I.

Gratia Excitans non ſolum Efficax, ſed Inefficax etiam datur. Et hæc eſt vera & interior Dei vocatio. Inefficax eſt * cui reſiſtitur.

Et LXII.

Acceptâ Gratiâ Efficaci, adhuc voluntas poteſt, aut ſuſtinere actum, aut oppoſitum efficere, cum inclinata ſit non determinata.

Tertia Janſenij.

Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate ſed ſolum à coactione.

Damnata.

XC. *Mea contradictoria.*

Vis omnis prædeſtinans reaple voluntatem ad unam

tantùm partem inevitabiliter, totam tollit libertatem ad illam partem, & physicam necessitatem inducit. * Per necessitatem physicam tollitur omnis libertas.

Et LXXV.

Gratia Efficax non compellit, nec necessitat voluntatem.

Idem habetur Concl. 70. 71. 72. 73. 80.86. 91.

Quarta Jansenij.

Semipelagiani admittebant Prævenientis Gratiæ necessitatem ad singulos actus etiam ad initium Fidei. Et in hoc erant hæretici, quòd vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Damnata.

De prima parte non egi. Circa secundam sunt meæ contradictoriæ.

LXVII.

Gratia Efficax non prædeterminat voluntatem; nec tollit potestatem suspendendi, aut revocandi actum: nec eâ positâ determinatur per illam voluntas ad actum secundum.

Et LXXII.

Acceptâ Gratiâ Efficaci adhuc voluntas potest aut sustinere actum, aut oppositum efficere, cùm Inclinata sit, non determinata.

V. Jan-

V. Jansenij.

Semipelagianum est dicere: Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse. Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus est.

Damnata.

Mea Contradictoria.

C.

Christus, etsi solis, qui sibi à Patre sunt dati, Prædestinatis ad Gloriam & quibusdam Fidelibus ad Gratiam temporariam electis morte suâ profuerit, rectè tamen ob alios respectus mortuus pro omnibus & dici potest, & debet. Nec id uspiam ab Augustino negatur.

Meas

Omnes postea tract. 30. probavi ratione, authoritate, testimoniis Augustini: & antequam *Iansenium* vidissem, hos errores ex ipsomet Augustino improbabam: uti nunc improbo & condemno.

Augustinianus sum. Qui me *Iansenianum* dicit, *MENTITUR*. Meum hoc qualecunque est judicium, & quicquid hic scriptum est, Sedis Apostolicæ Artrio Censuræque subjicio.

Quoniam verò nuper in Anglia Arminiani quidam, cum minùs me nossent, viderent à me *vertibilem* illam suam, & trusatilem ad imperium motumque Arbitrij Gratiam, acerrimè ex D. Paulo & Augustino confutari, *Ianseni-*

Ianſenianiſmũ mihi ſummâ injuriâ,nullâ conſcientiâ impegerunt, & nonnulli ei Catholici à ſenſu Auguſtini alieni iis temerè crediderunt: ac eo prætextu ſunt uſi, quòd in mea Cortina quinquennio antè in lucem, nomine Auguſtini, edita, *Janſenij* opiniones tradiderim, volo hîc totam Auguſtini doctrinam, eo modo, quo ibi eam per Principia, Concluſioneſque propoſueram, fideliter repræſentare: ut iis accuratè à quoquam & expenſis, & cum *Ianſenij* opinionibus collatis appareat, meam doctrinam non meam, ſed Auguſtini eſſe, id eſt, puram, ſanam, Catholicam, Romanam: & Arminianos, & qui cum iis de me malè & ſentiunt & loquuntur, falli mentirique. Poteram ad alterum marginem Authores Theologos, qui ſingulas concluſiones totidem Auguſtini ſententias eſſe confirment, referre, ſed omitto; tum quòd in mea Cortina Tract. 3. id præſtiti tum quòd temeraria Arminianorum Cenſorum judicia expectanda duco, ut iis prolatis, ego contra prodeam, & productis Authorum qui mecum ſentiunt teſtimoniis, quot ea fuerint, tot impudentibus colaphos impingam.

Oracula

ORACULA A D. AUGUSTINO EDITA.

I. PRINCIPIUM.

INCARNATIONEM Verbi Divini, non nisi in remedium peccati, aut præfinitam, aut institutâm.

I. Lib. 1. de Peccat. mer: & rem: c 26 27. & 28 Psal. 36 circa med: serm: 8. & 9 de verb. Apost: ep: 45. l de Ago: Chr: c 10. & 11. serm: 14. de tempore.

II.

Prædestinationem absolutam, esse electionem quorundam efficacem ad Gloriam: ex sola Dei misericordia, præ aliis in communi massa damnata justè derelictis.

II. Lib. de Prædest: sanct: c 5. & 9. & lib: de Bono Persev c 8 & 15. ep 805 l de expos. ep: ad Romam: ep: 143. lib 13. de Trin. c 11. In Psal. 30. tract. 86. in Joan serm: 16. de verb: Apost: lib de Peccat: mer: & rem. 1. c 22. l de nat: & Grat: c 8 lib de Cor & Gra. à c 5. ad 9 lib: de Grat. & lib. arb. c ult lib. 2. cont 2 ep. Pelag. c 7.

III.

Peccatum Originale universam generis humani massam corrupisse, illámq; omni prorsus jure ad Gloriam, Gratiámq; privasse: ut satis esset illud ad universorum damnationem, nisi Deus liberè, ac misericorditer quos voluit

III. Lib. de nat: & Grat: c 5. lib 2. de Grat. Chri: c 1. & lib. 2. de nupt. & conc: c 9. lib 11. de Gen. ad lit. c 30. & lib. 21. de civit. c 12. Psal. 31. lib. de Trin. 13 c 16. 11 12 ep. 4. ad Simpl q 2. lib: de præd. sanct c. 9. & 14. li: de Bono persev. c 8 & 12 In Enchir: c 95 98. & 99. Epist 105. 106. & 157 l. de Cor. & Grat. c 7. & 10.

ſerm: 14 de temp.

luit liberare voluiſſet.

IV.

Lib. 2 de Peccat. mer: & rem à c 22 & l de Prædeſt. ſant: c 3 l. 2. de nupt & c. 9 & 24. & 29 l de Fid: & ſymb: c. 10 & l 22 cont. Fauſt: c 7. & 8 l 5. cont: Julian: c 3. & de verb. Apoſt ſerm 2 l de nat: & Grat. c. 43. & 67. lib: 12 de Trin c 11. & l 13. c. 12 & l 14. c. 17. l de Gr. Chr. à c. 37. Vide concl 34.

I V.

Naturam in ſtatu ruinæ, non ſolùm integritate & juſtitiâ ſpoliatam, ſed pronam, & inclinatam in peccatum manſiſſe, retentâ libertate, ſed æquilibrio arbitrij amiſſo.

V.

Lib. 1. de Peccat mer: & rem: c 18. & perſpicuè c. 28 & l. de nat: & Grat l. 4 cont. Julian: c 3. c. 2 Epiſt. 28. & 46. & 52 l 13 de civit: c. 24. & l 22 c. 1. & 22. l. 3 de peccat. mer. c. 2. l. 2. de nupt: & conc. 8. l 3. cont. 2. Epiſt. Pelagian c. 5 l 1. Retr 1. 9. ſerm. 6. Homil: prædica verbum & ſerm: 181. de temp. ſerm 14 de verb Apoſt: lib. de Grat: & lib. arb c. 3. & perſpicuè lib. 1. de orig: anim: ad Renat: c. 9.

V.

Non eſſe poſt mortem ſtatum æternum in extremo judicio medium inter Beatitudinem, & damnationem, nec locum inter manum dexteram, & ſiniſtram.

VI.

L. Retr: 1. c. 9. & 23. l. 9. Conf: c. 6. Ep: 105 109. l. 2. de Grat: Chr: c 22 & 24. l. 4. de Trin. c. 1. & 14. c. 15. & ep 52. & 59. & 89. tr 7. in Joan: de ſpir: & lit: c. 28. lib 15 de Civit: c. 19. l de nat: & Grat: c. 4. & lib. 2. de grat. Chr: c 24. l. de Prædeſt. ſanct. c. 14. in Pſal. 18. & 30. & 31. & 49. & 144. tr: 3. in Joan.

V I.

Gratiam Donum omninò Dei liberum, & Gratuitum eſſe: omni præciſo ad naturales actus reſpectu.

VII.

Fidem eſſe Oſtium ad Gratiam: cui

VII.

Lib. 4. cont. Jul: c. 3. ſerm, 13

cui adulto nulla prorſus lux, aut irradiatio Fidei detur, ei nullam Gratiæ copiam fieri.

de verb. Apoſt. & Præfat. in Pſal. 31. l. 3. contr. 2 epiſt. Pelag. c. 5. epiſt. 60. 95 & 107. Enchir. c. 103. 106. & q. 2. ad Simplic. l. de nat. & grat. c. 9. Pſal. 98. & 110. & 118. ſerm. 38. de tempore, & ſerm. 95. & 124. & ſerm. 181. l. de prædeſt. ſanct. c. 8. & 10. & 20. Vide concluſiones 35. ad 43.

VIII.

Gratiam in ſtatu juſtitiæ diverſam eſſe à Gratia ſtatus ruinæ, atque hanc illâ multo potentiorem.

VIII.

Lib. de Cor. & Grat. c. 11. & 12. l. de nat. & grat. c. 43. l. 1. de peccat mer. & rem. c. 13. & l. 2. c. 19. lib. de Dono Perſev. c. 8.

IX.

Gratiam vi ſuâ efficacem eſſe, ac verè & phyſicè in voluntatem influere, delectare, movere, inclinare, atque adeò ſemper eſſe victricem.

IX.

Lib. de Correpr. & Grat. c. 1. 11. 12. 14. lib. 6. cont. Jul. c. 7. & 8. & l. 5. c. 5. & l. 1 cont. 2. epiſt. Pelag. c. 19. & 20. lib. de Grat. & lib. arb. c. 14. 16 & 20. l de Bono Perſev. c. 6. & 22. l. 2. de peccat. mer. & rem. c. 17. & 19. tract: 4. in Epiſtol: Joan. l. de ſpir: & lit: c. 34 & tract: 49. in Joannem, Pſal. 57. & 118. l. 1. de Grat: Chr: c. 24.

X.

Poſitâ Gratiâ efficaci, libertatem non auferri, imo donari & ſtabiliri, & in bonum augeri: tolli quiddam inclinatum, & ſerviens: tolli item aliquid indifferens in æquilibrio ad bonum, & malum: ſed nihil læſâ, imo conſtitutâ libertate.

X.

Ep. 89. ad Hilar: l 1. Retract: c. 13. & l. 14 de Civit c 11 l. 1 contr. 2 ep: Pelag. c 2 & 3 l de Grat: & lib: arb: c. 15. l de Correpr: & Grat: c 11 & 12. l. de Fide & ſymb: c 10. in Euchir c. 30. & 105 & 106. l 2 de peccat. mer: & rem: c 19 l. 3. de lib: arb c 3 l. de ſpir. & lit: c 30 & 34. l. 5 de Civit: c 9 l 22. cont. Fauſt: c. 78. l de nat: & Grat: c. 66.

Hæc ſunt certiſſima & capitalia Auguſtinianæ doctrinæ principia: ex quibus proximæ theſes deducuntur.

I. CONCLUSIO.

Ex Princ. I.

I.
Lib. 1. de Peccat. mer. & rem. c.26. 27. & 28. ep.45. l de Ag.Ch. c 10. & 11. Pſal. 36. circa med. ſerm. 8. & 9. do verbis Apoſt.

VErbum Divinum non incarnaret, niſi præcederet peccatum.

II.
Lib de nat: & grat: c 26. & 31. ad 36: & l de Eccleſ. dogm. c 28 l de Cor: & Grat: c 1. & lib. de Grat: & lib. arb. c 6 & 13. l 6. cont Julian c 23.

II. *Ex Princ.* I.

Omnis Gratia Chriſti eſt medicina peccati commiſſi, & virtus evitandi futurum.

III.
In Enchir: c 61. lib. de Cor & Grat. c 11 lib. de Bono Perſ. c 7.

III. *Ex Princ.* I.

Gratia Angelorum & Adami in ſtatu recto non fuit Gratia Chriſti.

IV.
L. de Trin. 13. c 17. & ep. 445. & 52 & l 10 de Gen ad lit. c 18. l 3. de Peccat. mer c 2 & l de nat. & grat. c 4. l de Bono Perſev. c 12 l de Cor. & Grat c 2. 8. & 11. l de Prædeſt. ſanct: c 15. Epiſt. 93 & 105. Pſal. 65.

IV. *Ex Princ.* I.

Chriſtus cauſa meritoria & exemplaris noſtræ prædeſtinationis extitit.

V. *Ex*

V. *Ex Princ.2.&3.*

Prædeſtinatio abſoluta nullis omninò prævifis meritis, imo demeritis prævifis facta fuit.

V.
Lib. de Præd. ſanct. c 6. 14. 15 19. l de Bono Perſev. à c 9. ad 12. & c ult. ad Simpl. q 2. Epiſt 105. & 106. in Enchir. c 98. l 1 de Grat Chr. c 12 & 13. l 4. de Trin: c 1 & ep: 52 & 120. & 105. l 13 de Trin c 11 De expoſit. epiſt: ad Rom: l 13. de Trin c 16 l de Corr. & Grat. per totum. In Pſal. 30. & 55. & 65. tract: 86. in Joan ſerm 16 de verb: Apoſt.

VI. *Ex Princ.2.&3.*

Prædeſtinatio Electorum cum diſcretione à derelictis conjuncta.

V I.
Ep 46. l 2 cont: 2. epiſt. Pelagian. c 7. & l 4. c 6 ep 143 & 105. lib: 4. cont: Jul. c 8. l de Corrept: & Grat: c 7 12. 13. l de nat: & Grat cont: Pelag: c 5. l de Correp & Grat: c 7. & 10.

VII.. Ex *Princ.2.&3.*

Prædeſtinatio actus miſericordiæ: derelictio juſtitiæ fuit.

VII.
Lib: de Corr: & Grat. c 7. & 10. ep. 46. & l 2. con: 2. ep. Pelag. c 7. ep: 61. & 105. l de Prædeſt. ſanct. Pſal. 31. lib. 5. cont: Julian: c 4. & 9. lib. de Dono Perſev. c 8.

VIII. *Ex* Princ. .2.&.3.

Prædeſtinatio primo intuitu affectio, & miſericordia, deinde dilectio, mox electio ad Gloriam.

VIII.
Lib. de Cor. & Grat. c 7. & 12. & 13 l de Grat: & lib. arb. c. 18. l 1. de Peccat. mer. c 26. 27 epiſt. 59. & 120. tract. 82. in Joan: l. 1. de Grat. Chr. c. 26.

IX. *Ex* Princ.2.3. & 4.

Prædeſtinationis affectum media Gratiæ conſecuta, & ex eo efficacia deſtinata.

IX.
Lib. de Cor. & Grat. c 7. & 8. l de Prædeſt. ſanct. c 3. & 10. ep 59. & 120. in expoſ. ep. ad Roman. l 1. de Grat. Chri c. 12. & l 2. c 24. & 26. l de Dono Perſev.

X.

Lib. de Præd: ſanct: c 10 & 17. & 18. & l. de Bono Perſeu: c. 7. 8. 14. & 17. l. 2. contr: 2. ep: Pelag. c. 6. lib. de corrept: & Grat: c 7. 9. & 12. 15. con Jul: c 3. ad Simpl. q 2. epiſt: 59. in expoſ: epiſt. ad Rom.

X. *Ex Princ.* 2. & 3.

Prædeſtinatio, etſi actus ſcientiæ ſupponat, & involvat, propriè in actu voluntatis, quod eſt propoſitum, conſiſtit.

XI.

In Enchir: c 95. lib: de Bono Perſeu: c 8. 12. 14. 22. & l 2 cont: 2. ep. Pelag. c. 7 l. 4. c 6. ep: 46. & l 5. cont; Jul: c 9. ep. 61. & 843. & lil. 1. de Peccat. mer. & rem: c 26 & 27. l de nat: & Grat: c 25. l de Cor: & Grat: c 7. & 13. & l de Prædeſt ſanct: lib. de Gr: & libero arb: c ult: & l 4. contr. 2. epiſt. Pelag. c. 6.

XI. *Ex Princ.* 2. & 3.

Quos Deus non elegit, dereliquit in eo ſtatu in quo erant, ac ea derelictio ex permiſſione juſtiſſima: quæ eſt illa, quam *reprobationem negativam* appellant.

XII.

Lib. de nat: & Grat. c 5. & 18. l de Correpr. & Grat: c 13. l 11. de Gen. ad lit. c 30. ep. 105. l 4. contr: Jul. c 8. & l 5. c 4. & 9. l 2. de Grat. Chr: c. 31. l. de Don: Perſev: c 9.

XII. *Ex Princ.* 2. & 3.

Derelictionis primæ in maſſa damnata integra, & adæquata cauſa peccatum Originale.

XIII.

Lib. de Eccleſ: dogm: c 32. l de Trin: 13. c 15. l 83. quæſt. c. 66. ad Simplic: q 2. & ſerm: de verb: Dom: ſecund. Matth. c 7. & in comment. epiſt. ad Roman: & Epiſt: 52. l 3. contr: Julian: c 18. l de Præd: ſanct: c 11. ſerm. de verb: Dom: ſecund: Joan: 59.

XIII. *Ex Princ.* 3. & 6.

Prædeſtinationis ad certam Gloriam; uti & Reprobationis ad certam pœnam, certorum meritorum, et demeritorum præviſio cauſa extitit.

XIV.

Aguſt: ep. 59. de Præd: ſanct. c 8. lib. de nat: & Grat: c 41. Enchir: c 103. ep. 107. lib. 4.

XIV. *Ex Princ.* 3. & 6.

Deus non habuit generalem voluntatem antecedentem ineffi-

cacem

cacem ſalvandi omnes: nec is ſenſus eſt loci Pauli, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, ſed tres alij quos Auguſtinus et Proſper et Fulgentius tradiderunt.

cont. Jul. c 8. lib: 1. de Peccat. mer: & rem: & c 25. & 25. l 2. de nup: & concup: c 27. lib. de Cor: & Grat: c 14 & 15. l. de Dono Perſeu: cap. 12. & 13. Proſper epiſt: ad Rufin. Fulgent: lib: de incarn: & Grat. c. 29.

XV. *Ex Princ. 2. & 3. & 6.*

Deus circa electos habuit voluntatem efficacem: circa quoſdam quibus aliquot media ineſficacia præparavit habuit ineſficacem: circa plurimos omnino negativè, derelinquendo, ſe habuit: nullo actu voluntatis uſus.

XV.
In expoſ. Epiſt. ad Rom. l de Corrept: & Grat. à c 7. ad 13. & præcipuè 13. lib: de Dono Perſeu. c 9. & 10. l. de Corr: & Grat. c 13. l de Dono Perſeu. c 9. & 10.

XVI. *Ex Princ. 2. 3. & 9.*

Deus novit futura in ſtatu conditionato.

XVI.
Lib. 1. cont. 2. ep: Pelag. c 17. & l. 1. de orig. an. ad Renat. c 12 l 2. cont. epiſt. 2. Pela. c 7. & l. 3 de orig an. ad Vincent. c 10. & ad Simpl. q 2. & l de Prædeſt. ſanct. à c 12. ad 14. & l de Bon. Perſeu. c 9. & 10. & l. de Corrept: & Grat. c 8. & 10. & lib. de vera Relig: c 46. & l de Peccat: mer. à c 2. ad 6. & l de Grat. & lib. arb. c 23. & l 3. cont. Jul. c 18. & 25. & l 1 Retract. c 13. & 19. & l de Chriſt. Relig. contr. Porphyrium.

XVII. *Ex Princ. 3. 9. & 10.*

Libera ita novit, ut non in ſeipſis, ſed in connexione efficaci-

XVII.
Lib. de Præd. ſanct. c 17. c 10. l de Corrept. & Grat. c 7. & 9. & 12. l. de Dono Perſeu. c. 14.

tatis

14. ad Simpl. q 2. & epist. 106. ad Bonif. l 1 de Grat: Chr: c 13. lib. 13. de Trin c 16 l de Præd. sanct: c 10. & 17 l de Grat. & lib arb. c 4. l de Correpr & Grat. c 8. & 11. & 12.

tatis auxilij, & Decreti antecedentis, & inferentis actum liberum bonum cognorit.

XVIII.
Ex proximè adduct & ex l de Corrept. & Grat: c 12. & l 6 cont. Jul c. 7 & 8. & l 5 c 5. & l 1. Retr: c 10. & l de Grat. & lib. arb. c 15. & l 1. de Peccat. mer & rem: c 29 & l de Prædest sanct c 18. l de Corrept: & Grat. c 11 & 12. ubi perspicuè c 12

XVIII. *Ex Princ.* 4. *&* 8. *&* 10.

Si citra hoc cognosceret, peccatum prænosceret: cùm ubi non intercederet victrix, & inclinans Gratia ex vi decreti, actus bonus minimè sequeretur.

XIX.
Lib 1. de Peccat mer. & rem à c 16. ad fin. ep. 105. 106. lib. 2. de Grat. Chr c 31. Ad Simpl. q 2 in Enchir. c. 94 l 2. cont 2. epist. Pelag. c 7. De verb. Apost. 5. & 7. l de Cor. & Grat. c 7 & 8.

XIX. *Ex Princ.* 2. *&* 3.

Peccatum Originale est causa adæquata, & proxima damnationis infantium sine baptismo decedentium.

XX.
Ep. 105. 106. & 157. l de Corrept. & Grat. c 7. 9. 13. ad Simplic. q 2. in Enchir. á c 94. ad 100. l 2 contr. 2. epist. Pelag. c 7. l de Bono Persev c 8. 9. 12 l 2. de peccat. mer. & rem. c 4. & omnino c 28. & lib. 3. cont 2. epist. Pelag. c 3. & l 2. contr. Julian. c 5. & præclarè lib. 6. contra eundem c 19.

XX *Ex Princ.* 2. *&* 3.

Peccatum Originale causa item est inadæquata & remota reprobationis (quam vocant positivam adultorum, etiam quandò remissum post baptismum, etsi jam reatus illius non remaneat; quòd maneat effectus, & affectio concupiscentiæ, quéadmodum in homine ex consuetudine peccànte,

cante, remiſſo peccato manet habitudo, quæ tandem illum ad damnationem perducit.

XXI. *Ex Princ.* 1.2.3.

Sicut per generationem carnis re ipſa traducitur ex Adamo Originale peccatum: ita & per regenerationem ſpiritus infunditur in animam per Chriſtum verè & intimè ſanctificans Gratia.

XXI.
Lib. 1. de pec. mer. & rem: à c 7. ad 20. & præcipuè c 9. & 15. & 25. & 31. & l 2. c 7. 8. 20. 25. & l 3. c 2. & l de Grat. & lib. arb c 8. l de Nat: & Grat. c. 64. lib. 2. de Grat: Chr. c 24. & tract 124. in Joan. & l 1. de Grat. Chr. c 46. & lib. 2. c 5.

XXII. *Ex Princ.* 4. *&* 8.

Adam in Paradiſo conſtitutus à Deo, rectus, juſtus, integer, ſine vitio animi, ſine defectu ſenſus, ſine morbo corporis, ſummâ pace ac felicitate Gratiæ beatus.

XXII.
Lib. de Cor. & Grat. c 10. & 11. lib. 1. cont: 2. epiſt: Pelag: c 2. lib: 13. de Trin: c 3. & l 14. c 10. & lib: 1. Retr. c 10. & lib: 2. de Peccat: mer. & rem: à c 21. ad 24. & l 2. de Gen. contr: Manich. ſerm. 9. de verb. Dom. ſecundùm Matth. & de verb. Apoſt. Ser. 2,

XXIII. *Ex Princ.* 4. *&* 8.

Status Juſtitiæ non erat ignorantiæ, nec erroris.

XXIII.
Lib: 3. de lib. arb: c 18. l 1. Retr. c 9. in Enchir: c 16. & l 21. de Civit. c 10. & l 11. de Geneſ: ad lit: c 30.

XXIV. *Ex Princ.* 4, *&* 8.

In Adamo dum rectus, et in Originali juſtitia fuit, non erat rebellio carnis adverſus ſpiritum, non erat diſſidium inter partes inferiores,

XXIV.
Lib. 1. cont: 2. epiſt. Pelag. c 2. & 13. l 1. de nupt: & Concup: ad valer: & 2. ſerm: 2. de verb: Apoſt.
Lib: de Peccat: mer: & remiſſ. à c 21. ad 25.
Lib. de corrept: & Grat. ſæpe.
Lib: 2. de Gen: ad lit: c 21.

ores, & ſuperiores animæ, non erant pravi motus, non effrenati impetus appetitus, non igniculi concupiſcentiæ.

XXV. *Ex Princ.4.& 8.*

XXV.
Lib. 2. de Gen cont. Manich. & l 1. contr. 2. ep Pelag. c 2. & lib. de Corrept. & Grat. c 10. ſerm. 2 de verbis Apoſt. lib. 2. de Peccat. mer & remiſſ. c 21.

Donum integritatis, & rectitudinis, quòd attinet ad pacem, & concordiam partium animi, fuit quiddam proprium, & habituale, inſtar juris, et dominij, impreſſum voluntati erga inferiores appetitus.

XXVI. *Ex Princ.4.& 8.*

XXVI.
Lib. 14. de Civit. c 11. & l 11. de Gen. ad lit. c 42.

Adam in Paradiſo peccare potuit venialiter; imò et de facto peccavit, antequam peccaſſet mortaliter.

XXVII. *Ex Princ.4.& 8.*

XXVII.
Pſal. 68. & 69. l 2 de Gen contr. Manich. c 22. l 1. contr. adverſ. leg. & Prophet. c 15.

Primum Adami peccatum mortale à ſuperbia fuit.

XXVIII. *Ex Princ.4.& 8.*

XXVIII.
Lib. 1 de Peccat. mer. c 2. l. 13. de Civit. c 3 & 23. & l 14. c 26. & lib. 2. de Nupt. & Concup. c 5. & lib 6. cont. Julian. c 4. & lib de Hæreſ. c 88. l 6. de Gen. ad lit c 24. 25. 26. in Enchir. à c 25. & Epiſt 106.

Adamus in ſtatu juſtitiæ poterat quidem mori, ſed omninò moriturus non erat.

XXIX.

XXIX. *Ex* Princ. 4.

Adami corpus mortale erat ab intrinſeco,ſed ab extrinſeco immortale futurum.

XIX.
Lib. 1. de Peccat: mer: c 2. & 3. & l 7. de Gen: ad litter. c 25. & l 11. c 40 & l 13. de Civit: c 20. & 23.

*XXX. Ex Princ.*3. *&* 4.

Status naturæ lapſæ deterior eſt, quàm foret ſtatus puræ naturæ.

XXX.
Lib: de Nat: & Grat. c 3. & 67. l 2. de Nupt & Concup. c 9. l de Prædeſt. ſanct: c 3. Lib: 14. de Trin. c 17. l de Fid. & Symb. c 10. lib. 22. cont. Fauſt: c 7. 8. Lib. 5 cont: Julian. c 3. de verbis apoſtol: ſerm: 2. lib. 3. cont: Julianum c 4. 5. & 6 l 1. de Peccat: mer. & remiſſ. c 12. & 25. & lib: 3. à c 7. lib. 6. contr: Julian c 21

XXXI. *Ex* Princ.3. *&* 4.

Homo in ſtatu puræ naturæ aliquantò majores vires ad bene operandum haberet, quàm nunc habet in ſtatu lapſæ naturæ.

XXXI.
Lib: de Nat. & Grat: c 3. & 67. & lib: 2. cont. 2. epiſt. Pelag: c 4. l 6. contr. Julian c 3. ſerm: 2. de verb. Apoſt: l 12. de Trin. c 11. & 14. c 17. & in libris cont: Julianum. lib. 1. de Peccat: mer: & remiſſ. à c 25.

XXXII. *Ex Princ.*3. *&* 4.

In ſtatu puræ naturæ multò minor eſſet diſſenſio,et pugna inter utrumq; appetitum, et partes animæ,quàm eſt in ſtatu naturæ lapſæ.

XXXII.
Deducitur ex duabus præcedentibus, & lib. 2. contr. 2. epiſt *Pelag.* c 4 & 5. l 2. cont. Julianum c 2. & l 5. c 3. ſerm. 11. de verb Apoſt l 6. cont. Julian. c 7. lib. 1 de peccat: mer. & rem. c ult.

XXXIII. *Ex Princ.*3. *&* 4.

Homo in ſtatu ruinæ deterioris eſt conditionis, quoad corpus, quàm eſſet in ſtatu puræ naturæ.

XXXIII.
Lib de Nat. & Grat à c 53. Serm. 2. de verb. Apoſt lib. 3. contr. Julian. c 3. & 4 & 5. & 6 & lib. 1. de Peccat. mer & rem: à c 35. ad finem. & l 2. c 29. lib. 5 cont. Julian. c 1. & lib. 6. c 22.

XXXIV. *Ex* Princ. 3. *&* 4.

Homo in ſtatu lapſæ naturæ non ſolùm fuit ſpoliatus gratui-

XXXIV. Ex Princ. 4.
Lib. 2. de Peccat. mer. & rem. à c 22. lib. de Nat. & Grat. à c 19. 63. l 1. de nupt. & Concup. c 6. l 2. de Gratia Chriſt: contra Pelag. à c 37. lib. 12.

tis, ſed etiam vulneratus in naturalibus.

de Trin: c 11. & l de Fid: & Symb: c 10. l 2. cont: Julian. c 2. & 7. & 9. & l 3. c 26. & lib. 6. à c 5. ſerm: 2. de verbis Apoſt: lib: 3. de lib: arb: c 18. lib. 3. cont: Jul. c 3. & lib: 4. à c 12.

XXXV. *Ex Princ.* 5. *&* 7.

Omnis honeſta cogitatio moralis ab aliqua Fidei irradiatione, & Chriſti aliquali Gratia procedit.

XXXV. Ex Princ. 7.
Ep. 28. 112. l de Eccl: dogm: c 82. l 12. de Gen. ad lit. c 14. l de Ag: Chr: c 17. & l quæſt: ſup: Matth: c 14. l 2. contr: 2. ep. Pelag: c 8. Pſ. 31. ſerm. 38. de Temp.

XXXVI. Ex Princ. 5. *&* 7.

Nullus actus moralis bonus ſine aliquo lumine Fidei, & inſpiratione Gratiæ fit.

XXXVI. Ex Princ. 7.
Epiſt: 28. 119. & quæſt: 2. ad Simpl. quæſt. 2. Pſal: 31. & 91. & 98. ſerm: 95. de temp: l de Grat: & lib: arb: à c 4. ad 15. & lib. 1. cont: 2. epiſtol: Pelag: c 2. 3. & 19. & l 2. c 7. & lib: 4. c 6. & 9. & 10. & l 4. contr: Julian. c 3. & 8. l 13. de Trin: c ultimo: l de Præd: Sanct: c 10.

XXXVII. Ex Princ. 5. *&* 7.

Non omnia opera infidelium ſunt peccata: ſed illa tantùm ſunt, quæ ſine ulla Fidei luce, & ſine aliquo igniculo Gratiæ deliberatè ab infidelibus fiunt.

XXXVII. Ex Princ. 7.
Lib. 4. cont: Jul: c 3. & ep: 57. q 2. & 83. l 12. de Trin: c 7. l de Nat: & Grat: c 4. lib. 3. contra 2. epiſt: Pelag: c 5. & 98. ſerm: 11. de verb: Apoſt: ſerm: 95. de Temp: Epiſt: 99. 100. 130. 143. l 2. contra 2. epiſt. Pel: c 5. l 1. cont: Donat: c 8. & lib: 4. c. 20. lib: de ſpir: & lit: c 26. & c 28. l de Patient: c 26. & Pſal: 31. & 83. & 91. & 98. & 118. l de Bono conjug: c 6. & l de Patient: c 27.

XXXVIII. Ex Princ. 5. *&* 7.

Ad actum honeſtum moraliter bonum:

XXXVIII. Ex Princ. 7.
Epiſt: 28. lib: de Prædeſt. Sanct.

bonum aliquod lumen Fidei, & impulsus inchoatus Gratiæ Christi necessarius est.

c 10. ep: 99. & ep. 130. lib: de Ecclesi: dogm: c 27. q 2. ad Simpl: Ps: 91 & lib: 4. cont: Jul; c 3. lib: de Grat: & lib: arb: à c 4. & lib: de Grat: Chr: à c 23. l 5 de Civit: c 12. & l 19. c 25. & Psal: 31. & 72.

XXXIX. Ex Princ. 5. et 7.

Omnis actus qui fit sine ullo Fidei lumine, & sine ullo impulsu Gratiæ peccatum est.

XXXIX. Ex Princ. 7.
Lib: 4. conr: Julian: c 3. & 8. l 3. contr: 2. epist: Pelag. c 5. de verbis Apost: serm: 11. & 13. l 13. de Trin: c 7. l de Nat: & Grat: c 23. Psal: 31. & 92. & 118. serm: 95. de Temp: & Ser. 124. lib: 1. de nupt: & Concup: ad Valer: c 3. lib. 1. cont: 2. epist: Pelag: c 3. l de Cor: & Gr. c 3. & epist. 89. & 99. 143.

XL. *Ex Princ. 7.*

Non omnia opera, quæ fiunt ante justificationem per Gratiam justificantem sunt peccata, cùm sit ante illam alia quædam justificatio inchoata.

XL. Ex Princ. 7.
Lib. de Præd. Sanct. c 2. & 7. epist. 51. q 2. l 1. Retr. c 9. l 12. de Tr. c 7. l 83. quæst. c 76. l 1. con. Donat. c 8. & l 4. c 20. & lib. de Spir. & lit. c 28. & epist. 105 & 130. lib. 2. de Peccat. mer. & rem. c 26. perspicuè.

XLI. *Ex Princ. 7.*

Non omnia Fidelium in peccato mortali existentium opera, peccata sunt.

XLI, Ex Princ.
Epist. 57. qu. 2. lib. de spir. & lit. c 28. lib. 1. Retr. c 9. l 12. de Trin. c 7 l 83. quæst. c 76. & lib. 4 de Bapt. contra Donatist. c 21. Tract. 44. in Joan. Psal. 50. advers. 7.

XLII. Ex Princ. 5.

Nullus est in hoc statu naturæ lapsæ actus indifferens in individuo.

XLII Ex Princ. 7.
Lib. 4. contra Julian. c 3. serm. 13. de verb. Apost. ep 28. 142. l de Nat. & Grat. c 4. lib. de Bono Persever. c 2. lib. de Gr. & lib. arb. à c 4. ad 15. lib. 2.

cont. 2. epist. Pelag. c 7. & l 3. c 5. & l 4. c 6. 9. 10. lib. de Grat. & lib. arb. cap. 14. lib. de Præd. Sanct. c 2. & 7. epist. 83.

XLIII.
Lib: 1. Retract: c 1. & c 8. & 9. & 13. de lib. arb. c 1. & 3. & 18. 22. l de ver. Relig. c 2. epist: 28. & 45. & 46. 52. 89. & 106. l de Ecclesiast. dogm. c 32. l de Spir: & lit: c 2. & 3. l de Catechiz. rud. c 14. & l. de Patient: c 24 in expos. ep: ad Rom: & Gal: lib: 10. de Trin: c 32. & l 11. c 2. & l 2. cont: Petil: c 84. l 2. de Peccat: mer: c 5. toto lib: de Nat: & Gr. & l 2. cont. ep. Pel: c 7. & 8. Ps: 31. de verb. Ap. serm. 115. de Temp. lib. 4. con. Julian. c 3.

XLIII. *Ex Princ.* 5. *et* 7.

Nulli sunt actus medij inter actus moraliter, & supernaturaliter bonos, & moraliter ad damnationem malos.

XLIV.
Lib: 4. contr: Julian: c 3. ep. 28. & 45. & 52. & 89. 93. 95. 105. l 8. de Gen: ad lit: c 12. l de Ag: Ch: c 17. l de Spir: & lit: c 2. & 3. & 4. & c 29 lib: de Fid: & oper: c 14. & 23. & quæst. sup: Matth. c 14. l 83. quæst. q 66. l de Patient. c 22. & 27. lib. de expos. epist. ad Rom. lib. 14. de Civit. c 4. l 15. de Civ. c 19. l 2 de Peccat. mer. c 5. lib. de Grat. & l arb. c 7, ser. 11, & 12. de verb. Ap.

XLIV. Ex Princ. 5. *&* 7.

Nulli sunt actus ex sola natura boni, & naturaliter boni: sed boni sunt ab aliquali gratia boni.

XLV.
L. 1. de Orig. an: ad Renat: c 9. ep: 28. & 46. & 52. & 59. 89. & 91. l 4. de Civ. c 2. l 5. de Ci: c 93. & l 7. c 5. & l 10. c 32. &

XLV. Ex Princ. 5.

Sicut post mortem non est finis naturalis Beatitudinis, ita in vita

nulla

nulla ſunt media, et actus naturalis tantùm honeſtatis.

l 13. c 24 & lib: 15. de Trin: c 19 l 3. de Peccat mer c 2. l 2 de Nupt. & Conc c 8 l 3. contra 2 ep. Pelag: c 5. & Pſ 65. & ſerm. 181. & omnino l. 4. contra Julian. c 3.

XLVI. *Ex Princ.* 8.

Gratia excitans tum intellectus eſt, tum voluntatis: illa in ſupernaturali illuſtratione: hæc in inſpiratione, et delectatione item ſupernaturali conſiſtit.

XLVI.
Lib. de Spir: & lit. c 3. lib. 2. de Peccat: mer: c 17. & l 3. c 2. lib 1. contra 2. epiſt. Pelag: c 3. Pſal 118. lib 4. con. Jul. c 2. l 1. de Grat. Chr. c 3 & 5.

XLVII. *Ex Princ.* & 8.

Licèt actus intellectus, & voluntatis indeliberati Gratiæ excitantes ſint, non tamen in iis ſolis excitans Gratia conſtituitur.

XLVII.
Lib. 2. de Peccat. mer c 17. & 19. & l 3. c 2. Pſal. 118. & 1 de Cor. & Grat. c 5.

XLVIII. *Ex Princ.* 4. & 7.

Lex ſine adjutorio Gratiæ ſtimulus peccati. Doctrina ſine intrinſeco pulſu divino Gratia non eſt.

XLVIII.
Ep 22. & 106. & 107. 144 220. Ench. c 117. epiſt. 89. & 90. & 92. & 95 lib 10. de Gen. ad lit c 12. tr. 17. in Joan lib. de Eccleſ. dog c 29. lib. de Spir & lit c 6 & 8 & 9. & 19 183. quæſt c 66 lib. de expoſ. ep ad Rom. & Galat. & l 21. de Civit. c 16 contr. adverſ leg c 7. l 1. de Gr. Chr. c 3. l 1. de Grat Chr. c 41. lib. 3. contra 2. epiſt Pelag. c 7 lib de Grat. & lib. arb. c 12 & 13. Pſal. 70. tr. 3. in Joan.

XLIX. *Ex Princ.* 4. & 8.

Gratia excitans propriè intellectum & voluntatem eſt lumen.

XLIX.
Lib 2. de Peccat. me. c 17. & 19. l 3 c. 2. lib. 1 de Gr. Chr.

quod-

c 3. Psal. 118. l 4. cont. Julian. c 2. l 1. de Gr. Chr. c 3. & 35. 45.

quoddam, & suavitas comitans actus indeliberatos, & relicta ex iis, ac inhærens.

L.
Lib. de Grat. & lib. arbit. c 1. 4. 16. 28. lib. de Bon. Persev c 6 & 22. & 20. lib: de Cor: & Grat: c 11. 12. & 14. & l 1. contra 2. epist Pelag: 19. & 14. c 6. in Enchir: c 64. ep. 107. l de spir. & lit: c 34. l 1 de Gratia Chr: c 3 & 85 & 45.

L. *Ex Princ. 8. & 9.*

Motio Gratiæ excitantis non est solùm moralis, sed etiam physica, re ipsa movens et efficiens intellectum, et voluntatem.

LI.
Lib: de Grat: & lib. arbitr: c 17. l de mor: Eccl Cathol c 24. ep. 106. l 83. qu c 68. l 2. de Peccator: mer. c. 1. & ad Simpl. q 2 & l de Præd: sanct: c 9. & 16. & l de Corr & Gr c 5. & 7 9. 11 12. lib. cont Jul. 5. c 4. & lib. de Dono Persev: c 9. & 14.

LI. *Ex Princ. 7.*

Gratia excitans non solùm efficax, sed inefficax etiam datur. Et hæc est vera et interior Dei vocatio: cui resistitur.

LII.
Lib de Cor: & Grat: c 5. & 11. Ps. 118. tract: 4. in epist. Joan: Epist. 107. lib: de Peccat. mer: & rem: c 17. & 19. lib: cont: Julian: 5. c 4

LII. *Ex Princ. 4. 8. et 9.*

Efficax Gratia ex sua intrinseca ratione talis est, et reapse major et potentior gratia inefficaci.

LIII.
Lib. 2 de Peccat. mer. c 5 & 17 ex locis proximè cit: concl. 51. & lib. Retr: c 13

LIII. *Ex Princ. 7.*

Gratia inefficax verè excitans Gratia est, sed remissa, et non congrua difficultati vincendæ.

LIV.
Lib: de Fide & symb cap: 10. & lib: 2. de Peccat. mer. &

LIV. *Ex Princ. 4.*

Cum Gratia inefficaci, et morali quadam difficultate, stat impro-

potentia moralis ad ope randum, unde dicitur voluntas non posse operari.

rem: c 17. & ducitur ex concl. 51.

LV. *Ex Princ. 9.*

Gratia inefficax, si augeatur, efficax reddetur, quòd sit minor quàm Gratia efficax.

LV.
Lib. de Grat. & lib. arb: c 15. & 17. lib. de Correpṫ. & Grat. c 5. & 11. tract. 49. in Joan ex suprà cit. concl. 51 & 53. lege c 17. lib. 2. de Peccat. mer. & rem c 17.

LVI. *Ex Princ. 4. & 9.*

Fieri potest, ut Gratia quæ in uno inefficax est, in alio efficax sit: quòd spectata difficultate vincēdâ, minor Gratia in justo sit victrix, in peccatore non sit: at semper ex parte Gratiæ erit victoria.

LVI.
Ad Simplic. q; 2. & l de Cor & Grat. c 5 lib. 6. contr. Jul. c 18. lib. 2. de Peccat. mer. & rem. c 19. lib; de Grat. & lib. arb. c 4. & 15. lib. de Cor. & Grat. c 5. & 11. & præcipuè c 12.

LVII. *Ex Princ. 9.*

Gratia excitat consensum, non expectat, ita ut semper Gratia sit ratio operandi.

LVII.
Lib. de Præd. Sanct. c 10. lib. de Grat: & Lib: Arb. c 4. 17. & lib. de Correpṫ. & Grat. c 8. & 11 12. l 2. de Peccat mer. c 19.

LVIII. *Ex Princ. 3 & 6.*

Gratia inefficax, & non congrua, quæ vulgò sufficiens dicitur, non omnibus omnino hominibus datur.

LVIII.
Lib. 4. contr: Jul: c 8 lib. de Correpṫ. & Grat. à c 5. ad 8. lib. 1. de Peccat. mer. c 21. 22. tr. 25. in Joan. lib. de Nat. & Grat. c 8. Ad Symplic. q; 2. lib. de Bono Persev. c 8. In Enchir. c 94. & 103.

LIX. *Ex Princ. 3. et 6.*

Infantes qui in Peccato Origi-

LIX.
Epist. 105. & 107. & lib 4. cont. Julian. c 8. lib. de Grat. & lib arb. c 22. In Enchir. c. 103: l de Bon. Persev. c. 8. l de Nat.

nali

& Grat: c 8 l 1 ad Simpl q. 2. l de Cor: & Grat: à c 6. l 1. de Peccat: mer: & rem: à c 16. ad fin.

nali decedunt, omnibus prorſus auxiliis ſufficientibus deſtituuntur.

LX.
L. 4 Cont. Jul: c 8 ep: 50. & 105 & 107. ep: 107. l de Bon: Perſev. c 14. lib 1 de Peccat: mer. & rem. c 22. lib. 5. ad Simpl: q 2. l 2. cont: 2. epi: Pelag: c 7 in Enchir: c 94. l de Præd: Sanct: c 6. 7 8. 9. l de Bon: Perſev. c 8. l de Cor: & Grat: à c 5 ad 8. lib: 14. de Civit. c 11. & lib. de Nat: & Grat: c 50. & 55.

LX. *Ex Princ.* 3. *&* 6, *&* 7.

Adultorum multis auxilium ſufficiens denegatur. Nullis tamen Fidelibus, etiam induratis, ſubtrahitur.

LXI. Ex Princ. 3. *&* 6, & 7.

LXI.
Ep: 105. q 2 ad Simpl: lib: de Præd. Sanct: c 6. in Enchir: c 86. 103. & in locis proximis concl.: cit: 58. 59. 60. & ſuprà à 35. ad 40.

Omnes illi qui omni irradiatione Fidei carent, & auxilio ſufficienti carere debent.

LXII. Ex Princ. 3. & *6*, & 7.

LXII.
Deducitur ex proximis tribus concl. 58. 59. 60. & ex 14. & ex Principio 3. Habetur clarè lib. de Corr: & Grat: c 13. & lib: de Nat: & Grat: c 9. & 10.

Non minor eſt ratio denegandi auxilium ſufficiens Infidelibus adultis quàm infantibus: cùm illi peccato Originali addant venialia peccata, & infantes ſolùm habeant Originale.

LXIII. *Ex Princ.* 7.

LXIII.
Libr 4. cont: Jul: c 3. l de ſpir: & lit: c 36. in expoſ: epiſt: ad Galat: l 13. de Civit: c 2. & l 14. c 7. & l 17. c 4. l de Nat. & Grat: c 23. ſerm: de temp: 148.

Si detur homo, qui legem ſervet naturalem, is ſanè aliqua Fidei luce, & inſpiratione Gratiæ præditus erit.

LXIV.

LXIV. *Ex Princ.* 3, *et* 7.

Admiſso dari hominem, qui citra opem Gratiæ legem naturalem ſervaret, non ideò ei daretur auxilium Gratiæ, cum haberet peccata venialia. Unde falſum eſt illud, *Facienti quod in ſe eſt Deus non denegat auxilium*, ſi de viribus naturalibus accipiatur.

LXIV. Lib. 1. de Peccat; mer. & rem; c 22. l 3. cont; 2. Epiſt; Pelag c 5 in expoſ. epiſt; ad Galatas lib; 3. cont; 2. epiſt. Pelag. c 5.

LXV. *Ex* Princ. 5. & 7.

Multi infideles cum peccato Originali et ſolis Venialibus decedunt, prorſus damnandi.

LXV. Lib; 3. cont; 2. epiſt; Pelag; c 5. & lib. 1 de Peccat; mer; & rem; c 22;

LXVI. *Ex Princ.* 10.

Gratia efficax non eſt illa phyſica et prædeterminans qualitas, poſita: ut voluntas in unam partem determinetur.

LXVI. Lib. 1. Retr. c 9. lib. 3. de lib; arb. c 3. lib. de ſpir. & lit. c. 34. l 5. de Civit. c 9. & 10. n. 88. l. 2. de Peccat. mer. c 18. l 1. cont. 2. epiſt; Pelag; c 3. & 9. & 18. ep. 48. & 89 & lib. de Corrept. & Grat. c 2. lib. de Grat, & lib; arb. c 9.

LXVII. *Ex Princ.* 10.

Gratia efficax non prædeterminant voluntatem, nec tollit poteſtatem ſuſpendendi, aut revocandi actum, nec eâ poſitâ determinatur per illam voluntas ad actũ ſecundum.

LXVII. Lib. 1. Retr; c 9. & l 2. c 66. l 3 de lib; arb; c 3. ep. 89. lib. 2. de Peccat; mer; c 18. lib. 1. de Grat; Chriſti c 7. & 13. & 25. lib. de Corr. & Grat; c 2. l 2 contr. 2. epiſt. Pelag. c 9. & lib. de grat; & lib; arb; c 9.

LXVIII.
Lib de Cor; & Grat; c 5. & 11. & 12. ep; 48. l 1. contr; 2. epist. Pelag. c 7. & 18 & 19 l de Prædest. Sanct. c 20. l de Grat; & lib. arb; c 15. & 16. 20, & 21. tr. 49. in Joan: & tr:. 4. in epist. Joan Lib: 2. cont: 2. epist: Pelag. c 9. l 2. de Peccat: mer: & rem: c 19. Vide c 17. lib: de Grat. & lib: arb. & locos lib: de Cor: & Grat.

LXVIII. *Ex Princ.* 3. *&* 4. *&* 8, 9.

Graciæ efficacia non in congruitate illa sumpta ex circumstantiis, & respectu ad voluntatem opportunè vocatam consistit.

LXIX.
Lib. 1. cont: 2. epist: pelag. c 3. & l. 2. c 19. & 30. l de Cor. & Grat. c 2. & 11. l. de Præd: Sanct. c 20. 12. ep: 48. & 50. l 2. de Peccat. mer. c 17 & 18. l 1. de Grat: Chr. c 24. & c. 18. l de Grat: & lib. arb. c 17. 20, & 21: Psal. 57. tract: 25. in Joan l 2. de de Grat. Chr: c 25.

LXIX. Ex Princ. 4, 8, 9.

Efficacia Gratiæ in propria virtute intrinseca ipsius Gratiæ victrice sita est, cujus victoria in delectatione; & suavitate consistit; opponitur suggestui, & motui concupiscentiæ, & diaboli delectatione ad malum incitantis.

LXX.
Ep. 48. & 50. & 46. l 1 cont. 2. epist. Pelag: c 31. 18. 19. l de Prædest. Sanct c 20. lib. de Grat: & lib: arb. c 15 & 20. & 21. lib: de Cor & Grat: c 2 & 11. & 12. tr. 49. in Joan. l 1. de Grat. Chr: c 24.

LXX. Ex Princ. 8, *&* 9.

Hæc antecedenter & physicè movet, & inclinat suaviter in unam partem, quin determinet ad illam.

LXXI.
Lib. 2. de Peccat. mer. c 17. l de Prædest. Sanct c 20 tract. 49. in Joan. Ep. 46. & 89. lib. de Grat: & lib: arb. c 20. & lib. de Cor. & Grat: c 2:

LXXI. *Ex Princ.* 8, 9, *&* 10.

Eâ positâ tollitur difficultas, aufertur illa pronitas ad actum malum: tollitur æquilibrium indifferentiæ, & inclinatur voluntas ad actum secundum bonum: ita ut maneat inclinata, non au-

tem

autem determinata.

LXXII. *Ex Princ.* 10.

Acceptâ Gratiâ efficaci adhuc volũtas poteſt, aut ſuſtinere actũ, aut oppoſitum efficere, cùm inclinata ſit, non determinata.

LXXII. Lib: de ſpir. & lit. c 34. lib. de Grat: & Lib: arb: c 9. ep. 46. & 14. & lib. de Cor: & Grat: c 1. & 2.

LXXIII. *Ex* Princ. 4, 8, 9, 10.

Efficacia non eſt à voluntate, nec redditur Gratia efficax ex cooperatione illius, ſed jam eſt efficax cùm datur, & movet efficaciter ad actũ, nec expectat, aut comitatur tãtùm conſenſũ, ſed efficit cum voluntata inclinatâ, & liberè conſentiente, ſed actio præcipuè eſt à Gratia vincente, ſtatuente, roborante inclinante.

LXXIII. Ep. 48. & 50. lib. de Prædeſt: Sanct: c 20. l de Grat: & lib. arb. c 15. 16. 17. & 20. & 21. & lib: de Cor: & Grat: c 2. & 11. & 12. ep: 143. lib: de Correpr: & Grat: c 12. & 13. & 14. lib. de Grat. & lib. arb. c 20.

LXXIV. *Ex Princ.* 8. 9. 10.

Gratia efficax minùs virtutis habet, quàm illa prædeterminans physica motio: cùm inclinet, non determinet; moveat, non neceſsitet: et multo plus virium, quàm illa ex opportunitate cõgrua vocatio, cùm ex ſe habeat vim an-

LXXIV. Lib. 2. Peccat. mer. & rem. c 19. l 1. Retr. c 9. l in expoſ. ep. ad Rom. ep. 46 l 1. contr. 2 epiſt. Pelag: c 3. & 7. & 19. lib. de Grat. & lib. arb: c 15. & 20. lib. de Cor: & Grat: c 14. l 4. cont. Jul: c 3. & 4. lib. de Grat. & lib: arbit. c 15. & 20. lib. de Corrept. & Grat. c 11. tract. 49. in Joan.

teceden-

tecedenter movendi, & inclinandi voluntatem.

LXXV.
Lib: de Correpr: & Grat: c 2. & lib: 2 cont: 2. epist: Pelag. c 9. lib: 4. cont: Jul: c 3. & 4 lib. de Grat: & lib. arb: c 15. & 20. & l 1. cont: 2. epist: Pelag: c 19. & 30.

LXXV. Ex Princ. 8, 9, 10.

Gratia efficax medium quiddam est inter motionem physicam prædeterminantem, et congruam moralem vocationem, erigens et mox inclinans, non compellens, et necessitans voluntatem.

LXXVI.
In Enchir: c 106. & l de Eccl. dog: c 47. l 14. de Civit: c 27. l de Correp: & Grat: c 11. 12. 13. & 14.

LXXVI. Ex Princ. 8, et 9.

Adiutorium *sine quo* proprium status integri, ac recti, et necessarium ad honestè operandum: hoc non est satis in statu naturæ lapsæ, sed opus est alio potentiore, quod sit *quo* et *à quo* fiat actus.

LXXVII.
In Enchir: c 106. l de Eccl: dogm: c 47. lib: 14. de Civit: c 27. lib: de Cor: & Grat: c 11. & 12.

LXXVII. *Ex Princ.* 7. 8, et 9.

Auxilium *quo* pro ut concomitans et cooperans est, utrique statui necessarium: illud tamen ut est *à quo* non necessarium naturæ integræ, sed lapsæ omnino necessarium.

LXXVIII.
Lib: de Eccles. dogm: c 47. lib. de correpr. & Grat: c 11. & 12. serm: 156. de verb: Dom.

LXXVIII. Ex Princ. 4. 8. & 9.

Si homini lapso solùm daretur adjutorium *sine quo* et *quo* tantùm con-

concomitans, non rectè operaretur, quando quidem homo rectus cum illo peccavit.

LXXIX Ex Princ. 3, 6, 7, 8.

Hominum quidam sunt, quibus nulla omninò Gratia datur: quidam quibus sola inefficax: quidam quibus & sufficiens, & efficax temporaria, & sine dono perseverantiæ: alij quibus datur Gratia efficax cum perseverantia.

LXXIX.
Lib: 1. Retr: c 15. lib: de Corr: & Grat: c 9. & lib: de Bon: Persev: c 9. ad Simplic. q 2 lib de Dono Persev: cap: 22. perspicuè, lib. de Correpr: & Grat. c 7. & 8. & 11. & 12. & clarè c 13.

LXXX. *Ex Princ.* 9, et 10.

Libertas ab indifferentia distinguitur: quod indifferentia est punctum indivisibile æquilibrii in neutram partem inclinantis: libertas verò recipit magis & minùs, et patitur inclinationes, et impulsus in utramque partem, quod non patitur indifferentia illa indivisibilis.

LXXX.
In Enchir. c 105. lib. de bon: Viduit. c 16. lib: 3. de Peccat: mer: c 8. l 1. de Grat: Chr: c 5. & c 29. & c 47. l 2 de nupt: & Conc. c. 3. & 27. ad art: resp: ad 3. lib: de Gest: Pelag: c 3. lib: de Grat: & lib: arb: c 20 & 21. lib. de Cor. & Grat: c 11. vide caput 15. lib: de Grat: & lib: arb: c 15. & 20. lib: 2. de Peccat: mer: & rem: c 18. perspicuè omninò l 1. cont: 2. epist. Pelag: c 2.

LXXXI. *Ex Princ.* 9, et 10.

Triplex est genus libertatis. Primum, indifferens, et omnino in æquilibrio potestatis, rectâ et in

LXXXI.
Lib: 3. de Peccat: mer: c 8. lib. de Nat: & Grat: c 45 l 1. de Grat. Chr. c 5. & 47. lib. 5. de spi: & lit: c 4 in Enchir: cap: 105. & lib. de Eccl. dogm c 15. & 21 lib 2. cont. 2. epist Pelag: c 2. lib: de Grat. & lib. arb; c 14 & 20. lib; 2. de Peccat. mer & rem; c 17. & 18.

neutram

nevtram partem pendente volũtate. Secundum; deflectens ab æquilibrio in bonum, inclinatâ in illud voluntate. Tertium vergens ab æquilibrio in malum, pronâ in illud voluntate.

lib. de Bon. Viduit. c 16. l de Grat. Chr c 47. lib. 3. cont. 2. epist. Pelag. c 8. lib. de Fid. & Symb. c 10 l 1. & de lib. arb. c 11 & c 20.

LXXXII. *Ex Princ.* 3, et 4. Libertas à peccato, & à miseria propria est Beatitudinis cælestis.

LXXXII. Lib. 1. de serm. Dom. in monte lib. 13. de Civit. c 24. lib. de Cor. & Grat. c 12. l 2. de Peccat. mer. & rem. c 7. & 8, l 1. cont. 2. epist. Pelag. c 11.

LXXXIII. Ex Princ. 4 & 8. Primum genus libertatis indifferens & in æquilibrio, fuit fortassè in Adamo cùm primùm conditus est. Secundum fuit in Adamo, cùm in Paradiso collocatus est. Tertium fuit in Adamo, cum lapsus est.

LXXXIII. In Enchir c 104. & 105. 106. l de spir. & lit. c 3 l de Expos epist. ad Rom. l 2. cont. Gaud. c 11. Psal. 29. l 4. cont. 2. epist. Pelag. c. 12. l 83. quæst. c 4. l 14. de Civit. c 11. l. de Cor. & Grat. c 11. l de Fid. & Symb. c 10. l de Eccl, dog. c 39. l 3. cont. 2. epist. Pelag. c 8. serm. 156.

LXXXIV. *Ex Princ.* 4. & 10. Primum, et secundum genus libertatis periit per peccatum. Tertium mansit post peccatum.

LXXXIV. Lib. 1. cont. 2. epist Pelag. c 2. Epist. 107. ad Vital. Ench. c 30 & 105. 106. l 12. de Trin. c 11. lib. de Fid. & Symb. c 10. l 1. de lib. arb: c 11. Eccl: dogm: cap. 49. lib. de Nat: & Grat: c 49. & 55. l 22. con: Faust. c 78. l 3. cont. 2. epest. Pelag. c 8.

LXXXV. Ex P*rinc.* 4. & 10. Homines ut justi fiant extrahuntur virtute Gratiæ ab isto tertio statu, et reponuntur in secundo.

LXXXVI. Enchir: c 30. 32. lib. de Eccl. dogm. c 32. l de grat: & lib: arb. c 15. & 20. 21. serm: 47. de temp.

LXXXVI. Ex P*rinc*.4.*&* 10.

In omnibus tribus ſtatibus ſervatur libertas: ſed in ſecundo, et tertio cum quadam pronitate et inclinatione.

LXXXVI.
Ep. 46. l de Gen imp: c 1. Enchir: c 105. l 1. de firm. Dom: in monte l 1 cont. 2. epiſt: Pelag: c 2. l 22. cont: Fauſt. c 87. l de Corr: & Grat: c 1.

LXXXVII. *Ex Princ*.4 *&* 10.

In tertio ſtatu libera eſt voluntas: ſed ſervit peccato. Vnde quando traducitur ad ſecundum, liberatur à ſervitute peccati, et nobilius libera eſt.

LXXXVII.
Ep: 89. l de Eccl. dog: c 49. l de ſpir: & lit: c 3. & 30. ſerm 6. de verb: Apoſt. l de Gen: imp: c 1. Enchir: c 30. lib: de Eccl: dogm: c 32. l. 1. de Grat: Chr: 41. lib: 1. Retr: c 13: & l 14. de Civit: c 11. l 1. cont: 2. ep: Pelag c 2. & 3. l de Grat. & lib: arb: c 15. l de Cor. & Grat. c 1. & 8. & 12.

LXXXVIII. Ex Princ. 4. et 10.

In ſecundo & tertio ſtatu augetur, & minuitur liberum, nec enim eſt libertas in indiviſibili.

LXXXVIII.
Lib: 1. de Grat: Chr: c 41. & c 47. l 1 cont: 2. epiſt: Pelag: c 2. & 3. l cont: Fortun: l 1. cont: Julian: l de Grat: & lib: arb: c 15 & 20. & 21. l 2. de Peccat: mer: & rem: c 18.

LXXXIX. Ex P*rinc*. 4, et 10.

Homini ex conſuetudine peccanti ineſt pronitas ad peccandum; ac difficillimum ei eſt non peccare: huic, ſi juſtificetur, & ex habitudine benè operetur, versâ vice ineſt propenſitas ad virtutem, ac difficillimum ei

LXXXIX.
Lib: 1. q. 1. ad Simpl. n: 442. de ſerm: Dom: in monte l 1. l de Fid. & Symb: c 10. Enchir: c 105 de ſp: & lit: c 31. tract. 49. in Joan: ſerm: 6. de verb. Apoſt: l 6. cont: Julian: c 18. perſpicuè l de Cor: & Grat: c 8. lib: de Grat: & lib: arb: perſpicuè c 20: & 21.

est peccare: ideo quòd in tertio statu erat, cùm peccator, & in secundo, cùm justus, in utroque liber erat, sed in utroq; inclinatus.

XC. *Ex Princ.* 4. *et* 10.

XC.
Lib. con. Felicem Manich. 2. l. de Nat: & Grat. c 66. & 67. & ex l 3 de lib: arb: sæpe c 3 lib: de spir. & lit. c. 31. & l 1. Retr. cap. 15. & c. 22. & lib. de duab animab. c 12. & contr. Fortun. d. 1. & cont. Secund. c. 12.

Vis omnis prædeterminans reapse voluntatem ad unam tantùm partem inevitabiliter, totam tollit libertatem ad illam partem: & physicam necessitatem inducit. Unde non per solam coactionem, sed etiam per necessitatem tollitur libertas.

XCI. *Ex Princ.* 4. & 10.

XCI.
Serm. 12. de verb. Apostol. in Ench. c 105. l de Eccl. dogm. c 39. l. l de Nat: & Grat. c 66. & 67. l de Fid. & Symb c 10. tract. 49. in Joan. in Joannem tract. 53 l 2. de Peccat. mer. & rem: c 5. 6. & 15. l de Nat. & Grat. c 66. perspicuè: l de spir: & lit. c 31. l 3. de lib. arb. l 18.

Vis physicè inclinans, non prædeterminans, & necessitas moralis, & moralis impotentia, vel ex ignorantia, vel ex infirmitate orta libertatem minimè tollit, etsi diminuat, & obtundat: cumque illis in actu secundo positis stat peccatum.

XCII. *Ex Princ.* 4. & 10.

XCII.
L de Grat. & lib. arb. c. 23. l 83. quæst q 68. & in Exod. q 18. & tr. 55. in Joã. & in expos. ep. ad Rõ. prop. 62. & l. i.

Induratio, non est sola simplex permissio peccati, sed ampliùs, et

& pœna, & supplicium à Deo inflictum pro peccatis.

Retr: c 15. l de Cor: & Grat: c 11. & epist 115. & tract: 13. in Joan: serm: 88. de temp: l 2 cont: adverʃ. leg: & Prophet. c 8.

XCIII. *Ex Princ.* 4, 9, 10.

Induratio duplex est: altera per patientiam, altera per potentiam Dei.

XCIII. Lib: 5. cont. Julian: c 3. & 4. in Exod: q: 18 & lib de Grat: & lib: arb: c 20. in Joan: tract: 53. Epist: 105. & & 106: lib: 1. ad Simpl. q 2.

XCIV. *Ex Princ.* 4, 9, 10.

Induratio per patientiam est permissiva. Induratio per potentiam positiva, & Augustino teste *inexplicabilis*.

XCIV. Lib: de Grat: & Lib: arb: c 20. q 18. in Exod. lib: de Nat. & Grat. cap 22. perspicuè cont. Jul. c 3 & 4. l 2. adverʃ. leg. & Prophet. c 8.

XCV. *Ex Princ.* 7.

Præter meritum hominis justificati, quod vocant de condigno, datur aliud meritum ante justificationem, quod appellant de congruo.

XCV. Epist. 84. & 105. & 106. lib. de Præd. Sanct c 2 l de Cor. & Grat. c 1. Ad Simpl. q 2. l 2. cont. 2. epist. Pelag c 17. l 1. Retr. c 9. & 23. l 2. de Peccat. mer. c 17. l 4. cont. Jul. c 3.

XCVI. *Ex Princ.* 3, & 5.

Infantes qui decesserunt in peccato Originali cum dãnatis censendi, sed in damnatione tamen omnium levissima futuri.

XCVI. Serm. 14. de verb. Apost l 4 cont. 2. epist. Pelag. c 4. l 1. de mer & rem. c 16. & c. 28. lib. 5. cont. Jul. c 11.

XCVII. *Ex Princ.* 4. & 10.

Necessitas non peccandi in pa-

XCVII. Tractat. 41. in Joan: lib: 2. de Peccat: mer: & rem: c 7. & 8.

tria erit: ſed hæc non tollet liberum arbitrium in Beatis.

LXXXXVIII. Lib. 22 de Civit: c 30, ibid: c ult. lib. de moribus eccleſ. c 11. lib. de Correpť: & Grat: c 11. & 12.

XCVIII. *Ex Princ.* 4, et 10.

Libertas Beatorum reſpectu ſervitutis peccati, ſumma erit, & perfectiſsima: cùm in eam redigi ſervitutem non poſsit.

XCIX. Lib. 1. oper. imperf. cont: Jul: fol. 105. & 153. ſerm. 13. de verb. Apoſt. lib de ſpir. & lit: c 30. lib. de Præd. Sanct: c 15. lib 22 de Civit. c ult. lib: de Nat & Grat. c 46.

XCIX. *Ex Princ.* 10.

Non pertinet ad definitionem liberi arbitrii, poſſe peccare: ſed liberi arbitrii, ſauciati, et ſervientis peccato, cum Deus ſit liber, et non poſsit peccare.

C. Lib. 5. cont. Julian. c 2 & lib. 6. c 1. 2. 4. & lib. 20 de Civit. c 6 & tract. 1. in epiſt. Joan. l 2. de Symb. ad Cathecum. c 5 & 8. l de Dono. Perſever. c 12.

C. *Ex Princ.* 1.

Chriſtus, etſi ſolis, qui ſibi Patre ſunt dati morte ſua Prædeſtinatis ad Gloriam, et quibuſdam ad Gratiam temporariam electi profuerit, rectè tamen ob alios reſpectus mortuus pro omnibus et dici poteſt et debet: nec id uſpiam ab Auguſtino negatur.

CI.

CI. *Ex Princ.* 2. *&* 3.

Quod quis omnino (id est invincibiliter) ignorat, in eo certè peccare non potest. Potest tamen occasione illius ignorantiæ in alio peccare.

CI. Lib. 3. de lib. arbitr. c 19. l de nat. & Grat c 17. c 67. Epist. 48. lib. cont. Crescon. 2. c 26. Epist. 50. tr. & 89. in Joan. l 22. contr Faust. c 44. l de Grat. Pelag c 18. 19. 33. l 1. oper. imperf. contr. Julian l 6. contr: Julian. c 1. l 1 ad Boni. fac. c. 3. & 9. l 83. quæst. q. 66. l de contr. c 33. in Enchir c 81 epist 154. l de Grat. & lib. arb c 3. l 3. contr. Julian c. 19.

CII. *Ex Princ.* 6, et 7.

Lex & monstrabat Peccatum, et necessitatem Gratiæ vires ad vitandum peccatum minimè conferebat. Non erat Gratia, sed non ideo Gratiæ Auxiliis destituta.

CII. Epist 200. l 1. ad Sympl. q 2 l de ver: Relig: c 25. l 3 ad Bonif. c 2. l de Spir & lit: c 14. & 32. l de Gra: & lib: arb: c 4. ferm: 4. de verb. Apost: c 5. l de Perf. Just. c 6. l 1. Retract. c 23. l de gestis Pelag. c 7. l ad Bonif. c 4. serm. 13 de verb. Apost. c. 3. Epist. 49. q 2. Epist 157. Comment: Epist: ad Galat. l 1. post. cont. Julian. 5. 92. de verb: Apost. serm. 11.

CIII. *Ex Princ.* 7.

Timor Pœnarum etiam Gehennæ præciso omni ad Deum respectu: et indirectè volens Peccatum justus non est. Est autem, cum aliquo modo ad Deum tendit et à Peccato prorsus avertit.

CIII. L. de Spir. & lit. c 8. 19. 32. l de Nat: & Grat. c 57. l 1 ad Bonif. c 9. & 13. c 4 epist. 144. Psal. 49. Psal. 77 & 118. serm. 3 In Appen: serm. 15. de verb. Apost. & 19. & Psal. 127. & serm. 214. de temp. & tract 9. in epist Joan. lib. de Grat. & lib. arbitr: c 18. Tract. 9. in epist. Joan. in Psal 123.

CIV. *Ex Princ.* 1.

Nemo unquam ulla in lege sine Fide IESU Christi Mediatoris salutem æternam est consecutus, consequeturvè.

CIV Epist 49. q. . & Epist. 157. Epist. 89. lib. 1 de Peccat. mer: & remiss c 11 & 27. & l 2 c 29. & l de Nat. & Grat. c 30 & 44 & 63. & l de Peccat. Origin: c 24. & lib c 5. ad 33. & l 2. de nupt: & concup c 11. l 2. ad Bonif. c 4. & 5. & l 6. contr: Julian. c 12. & lib. de Perfect: Just: ad fin.

Hæc

HÆc est vera & genuina Augustini mens: Cujus quot sunt sententiæ: totidem à me conclusiones conceptæ, ac expressæ sunt. Si quis Censor aut ullam Augustini neget esse: aut falsam (cùm ejus sit) esse affirmet: ei recipio, quancunque designet, eam et omnino Augustini esse: & falsam non esse, summorum Theologorum judicio, à me monstratum iri. Unde nullam earum, uti scribitur, vel improbatam fuisse antea, vel deinceps improbandam à Sede Apostolica fore, haud temerè dixero. Scio nonnullas à Socinianis, Arminianis, Remonstrantibus repudiari: sed horum ego calculos non moror. Catholicorum expecto: sed illos priùs monitos volo: ut cautè ac prudenter censeant: certè, me si contrà sentiant, in numerato habere Authores idoneos, quorum præsidio meam sententiam muniam; & ab iis nominandis consultò interim abstinere, ut lacessitus opportunè ac tempore producam. Liber de Adjutoriis secundus sub Prælo est: totus Scholasticus: in eo Augustinianam Gratiam propono & vindico à calumniis Arminii & sequacium, quibus quòd Crucis Christi virtutem evacuant, Crucem paro. Dum absolvitur: quicquid opponi mihi à quoquam accepero, id actutùm refutabo. Ita tamen ut me, meamque doctrinam Sanctæ

tæ Romanæ Ecclesiæ judicio, censuræ que subjiciam.

ITAQUE

Duo circa hujusmodi Conclusiones dico. Primùm non meas esse, nec tanquam meas proponi, sed Augustini. Utrum veræ sint, necne, meum non esse definire. Satis est quod Magni Augustini sint, ne improbentur.

Alterum: Qui neget aliquam ex iis Augustini esse, eum prorsus falli; & quamcunque quis excipiat, ejus authorem esse Augustinum non meâ solum me sed gravissimorum Theologorum, inter quos multi & nobiles JESUITÆ sint, authoritate monstraturum.

FINIS.



DE Duplici Adjutorio.

LIBER I.

CAP. I.

Via ad tractatum munitur & ſtatus quæſtionis proponitur.



NImis, ait Auguſtinus, *perversè ſeipſum amat, qui alios vult errare, ut error ſuus lateat.* Epiſt. 7. Hoc vitio nè laborem, initio quæſtionis profiteor, decretũ mihi eſſe candidè ac ſincerè mentem Auguſtini, qui diſputationis ſcopus ac finis eſt, quemadmodum eum aſſidua lectione ſum aſſecutus, exponere: ac in ea exponenda nihil partium ſtudiis, nihil præjudicatis opinionibus, nihil inolitis affectionibus dare: Sed uni puræ ac putæ ve-

 ritati,

ritati, in quam cogitationes curasque meas omnes vetus Augustini & discipulus & amator conferre soleo, prorsus servire: itaq; præcisis perversi amoris radicibus, quòd nullarum partium, quòd liberi judicii, quòd integri ac illibati affectus sim, necesse est ut neminem errare velim, cum nihil perversi in me insit amoris, quòd solius profitear studium veritatis.

Nec timendum (quod quis forte objecerit) ut aut minus Augustinum intelligam, aut intellectum ad sensus alienos detorqueam. Cum alterum assidua, & annos abhinc duodecim continuata scriptorum Augustini lectio refellat: alterum ingenitus mihi à puero, & cum ætate pariter ad senectutem crescens Augustini amor refutet. Quod si tam esset ad Augustini mentem inspiciendam ingenii mei acies imbecilla, ut per se ad intuendum niti non posset, amor certe meus efficeret ut conando, laborando, investigando pertinaciâ studii assequerer, quod non possum infirmitate naturæ comparare: quantum enim amor ad discendum valeat, docuit Sapientiæ ipsius Pater, qui cum magistrum nobis filium daret, amabilem reddi-
Mat. 17. dit: *hic est*, inquiens, *filius meus dilectus*, *in quo mihi bene complacui*, *ipsum audite.* Dilectum audiri voluit, cum dilectio ad cor, disciplina ad aures pertineat, quod amare docentem sit gradus ad doctrinam. Nec ubi præceptor amatur, oculis non discitur Isaia
Isai. 30. teste: *Erunt* inquit, *oculi tui videntes præceptorem tuum*: perinde ac videndo oculi doctrinam hauriant. Sanè uti qui doctorem odit, quid is doceat, contemnendo negligit, ac ex neglectu ignorat, ita qui amat,

amat, diligendo inquirit, quid ſentiat; ac ex ſtudio comperit. Ut authoris ſenſus ſenſui amantis reſpondeat. Quo ſpectat illa Auguſtini ſententia: *Agendum prius eſt ut authores non oderis, ſed ut ames, ut legas & judices.* Quod ille certè non diceret niſi quantavis utrius in utramvis partem affectus eſſet, experientiâ didiciſſet. Jam vero authoris compertum ſenſum torquere, & ſi magis alienum à fide quàm ab amore videatur, non minus amori detrahit quàm fidei. Etenim qui ſenſum torquet, & mentē ſui authoris adulterat, in amorem juxtà peccat & fidem: niſi forte adulter ſervat amorem, cum violat fidem. Adde quod mentiri ſenſum, fucum facit authori, cui perſona imponitur, ut fictum in eo pro vero ametur, quod non niſi magnâ fieri injuriâ poteſt, cum non illius vera forma, ſed ſpecies fucata placeat. Detur igitur hoc amori in Auguſtinum meo, ut mihi illud ſumam nec ad eum intelligendum, facultatem defuiſſe: nec ad eundem exponendum fidem defuturam.

Lib. de utilit. cred. ad Honorat.

Nova nuper in Gallia, ob ſtudia partium extitit controverſia, circa mentem Auguſtini de duplici adjutorio, *ſine quo & quo*: diſſentientibus ac digladiantibus hinc inde diverſarum & ſcholarum & profeſſionum theologis, doctis hominibus, de mente Auguſtini, cum utrumque illud adjutorium induxit. Senſere utrique quanti momenti res eſſet, cum ex ea tota penè gratiæ efficacia & inefficacia, & cum ea arbitrii concordia, pendeat: ut quo ſenſu ſit Auguſtinus locutus, is quaſi filū ad obſcuras de prædeſtinatione & gratia quæſtiones expediendas præbeat. Utrique

que fundamentum in eo ponunt opinionis ſuæ, quòd videant, cujuſmodi illud fuerit, ejus fore gratiæ fabricam conſtruendam. Equidem uti ſtudium laudo, ita miror in dubium vocari Auguſtini mentem, quam ego ita perſpicuam eſſe exiſtimo, ut nemo qui latinè intelligat ac legat, dubitare de illa poſſit. Fateor ingenuê me, multo antequam hujuſmodi concertationes exiſterent, in eum Auguſtini librum, ubi de illis adjutoriis ex profeſſo agit, incidiſſe, nec ullam tum mihi difficultatem objectam; quo minus eum percepiſſem; acceſſeram quippe ad Auguſtinum animo verè humili ac ſyncero, ut ex eo diſcerem, depoſitâ, qua anteá imbutus eram, opinione, eíque meum ita accommodans judicium, ut nihil præjudicatum afferrem. Verſabam tum animo illud Paulini & Theraſiæ, Auguſtini

Epiſt. 31. *& 36.* *Os fiſtulam aquæ vivæ, & venam fontis æterni* eſſe: ut ei mentem pariter, & cor admoverem, quo purius & uberius haurirem. Itaque jam tum judicium ſcripſi meum, & quod nutare jam lecto Auguſtino in accepta ab iis, qui me erudierant, magiſtris de prædeſtinatione & gratia doctrina cæperam, inſpecto & expenſo accuratiùs eo loco, illi renuntiavi, & paulò pòſt in melius, opinor, mutavi ſententiam. Quemadmodum in mea Cortina Pariſiis decennio fermè poſt typis mandatâ, ſum latius proſecutus; in qua quæſtionem de his duobus adjutoriis excitavi ſatis prolixam, & exactam, ut de mente Auguſtini conſtaret, nihílque eſſet quod ad perfectam ejus cognitionem deſiderari poſſet. Quò magis mirari debeo, qui poſt illud opus meum editum in lucem, adjutoria illa vel negant

vel

vel confundunt, eos aut meum de iis judicium non vidisse, aut certè negligendo prætériisse, aut dissimulare prætereundo voluisse. Tam enim, opinor, adductis, & collatis penè omnibus qui rem continerent, operum Augustini locis, perspicuè ostendi, quid ille sentiret, tam accuratè quæ obiici contra possent, attuli & dilui, tam validè sensum germanum loci munivi, ac firmavi, ut omnem dubitandi occasionem præcidisse arbitrarer. Et quidem doleo doctissimos aliquot viros velle tergiversando clarissimam Augustini doctrinam obscurare, & cùm filii lucis sint, & Ecclesiæ lumina, ansam præbere *Filiis fumi* (quo nomine *hæretici omnes* sunt appellandi) vel similes Patrum locos tenebris involuendi, vel fidem nostram in aliis quos contra eorum errores producimus, elevandi. Habent hoc studia partium, ut dum cõtraria inter se sentiunt, Patrum sententias ex voluntate interpretando detorqueant, & quos sequi debuerant, eos ad se vel invitos trahant, & cùm suis imbuti opinionibus ad eos legendos accedant, magistros doctorésq; habere nec velint, nec possint: nec enim judicia requirunt, sed sua iis præjudicia affingunt; ita non eorũ magisterio, sed patrocinio utuntur. Truncare sententias, locos incidere, sensus pervertere, verba intorquere, mentem depravare, summâ certe Patrum injuriâ; non modo quòd nihil apud eos certum & constans relinquitur, sed quod sibimet adversari & à seipsis dissentire coguntur. Quo fit ut sit verum illud à Divo Dorotheo usurpatum: *Regula obliqua etiam quæ recta sunt, obliquat.* Cum quæ rectè Patres docuerunt, ex perverso interpretantium

August. de Heret. lib. un.

pretantium

pretantium studio in alienos sensus detorqueantur. Et verò hæc eò licentia processit, ut Patres nobis eripiant, larvas pro Patribus objiciant, adeo, ut ne ipsi quidem, si se in suorum interpretum libris inspiciant, vultus suos norint: ac se ipsos personati prætereant. Unus horum Augustinus est Patrum omnium Coryphæus, in quo cum cardo vertatur Christianæ post Sacras Scripturas doctrinæ: eaque ab ipso tam perspicuè, támque exactè tradatur, factionum scholasticarum, quæ his exortæ sunt temporibus, dissidiis, & contentionibus, factum est ut pro arbitrio opinantium diversa sentire videatur: non quòd ipse ambiguè loquatur, sed quòd, dum quísque ejus ore vult loqui, suos ei sensus, judiciáque accommodet. Cumque ille multò plura quam alii Patres scripserit, & omnes pene hæreticos refutarit, si quid in tanta mole scriptorum & rerum varietate dicat, quod aut minus sit perspicuum, aut magis in eum quem lectores tenent sensum propendeat, id avidè arripiant & suum faciunt, nec quid aliis in locis, ubi ex professo rem definit, tradat, magnopere curent: imo & dissimulent, subtrahántque. Quemadmodum in hac præsenti controversia accidisse video: in qua tam clara est Augustini mens, ut magna violentia opus sit ad eam pervertendam: sunt tamen qui quod alienam eam à suis opinionibus existimant, industria obscurant, & occultant, ne, si pateat, tenebras opinationum suarum manifesta lux redarguat. Hujusmodi *affectatos*, ut cum Tertulliano loquar, *duces passivorum discipulorum* studio indagandæ veritatis ipsiusmet Augustini verbis

Lib. cont. Valentin.

bis adducto textu confutare volo. Ac postea judicium de ejus loci sensu meum antequam istæ inter nuperos theologos controversiæ orirentur proponere, ut appareat, qui syncero ad Augustinum legendum animo accedat, illum non modo statim ejus sententiam percepturum, sed etiam non posse aliter quam perceperit intelligi, omnino comperturum. Id ego aptissimè ex eodem Augustino ad novarum factionum theologos dixerim, *deponite quæso studia partium, & verum non vincendi, sed inveniendi gratia quærite.* *Lib.2. de morib. Manich.* Et quamquam locus prolixus sit, integrum oportet adduci. Nam prolixitas ipsa argumento est, voluisse Augustinum mentem suam exponere, ac satis desiderio suo exponendo fecisse. Ac quemadmodum tota de hac re doctrina in tria est capita accommodatè conjecta & divisa, ita non integrè, sed incisè, & per illa capitum membra sectam, distinctámq; proponemus.

Cap.



CAP. II.

Textus Auguſtini capite decimo Libri de correptione & Gratia, qui hujuſce de duplici adjutorio doctrinæ fundamenta continet, adducitur.

"NEmo ergo dicat non eſſe corripiendum qui exorbi-
"tat de via juſta, ſed ei reditum & perſeveranti-
"am à domino tantum eſſe poſcendam: nemo pru-
"dens & fidelis hoc dicat. Si enim ſecundum propoſitum
"vocatus eſt iſte, proculdubio ille etiam quod corripitur,
"Deus cooperatur in bonum. Vtrum autem ſic ſit voca-
"tus quoniam qui corripit neſcit, faciat ipſe cum chari-
"tate quod ſcit eſſe faciendum: ſcit enim talem corri-
"piendum, facturo Deo aut ad miſericordiam aut
"ad judicium. Miſericordiam quidem ſi à maſſa per-
"ditionis ille qui corripitur, gratiæ largitate diſcretus
"eſt, & non eſt inter vaſa iræ quæ perfecta ſunt in perdi-
"tionem: Sed inter vaſa miſericordiæ quæ præparavit
"Deus in gloriam. Judicium vero, ſi in illis eſt damnatus,
in his non eſt prædeſtinatus. Hinc exoritur alia quæſtio non ſane contemnenda, ſed in adjutorio domini in cujus manu ſunt & nos & ſermones noſtri, aggredienda atque ſolvenda. Quæritur enim à nobis, quantum attinet ad hoc donum Dei, quod eſt in bono perſeverare uſque in finem,

nem, qui de ipso primo homine sentiamus, qui certè sine nullo vitio factus est rectus. Nec dico, si perseverantiam non habuit, quomodo sine vitio fuit, cui tam necessarium donum Dei defuit? huic namque interrogationi facilè respondetur, eum perseverantiam non habuisse, quia in eo bono quo sine vitio fuit non perseveraverit: cœpit enim habere vitium ex quo cecidit, & si cœpit, antequam cœpisset utique sine vitio fuit. Aliud est enim non habere vitium, & aliud est in ea bonitate in qua nullum vitium est, non manere. Eo quippe ipso quòd non dicitur nunquàm sine vitio fuisse, sed dicitur sine vitio non permansisse, proculdubio demonstratur sine vitio fuisse, in quo bono non permansisse culpatur. Sed illud magis quærendum operosiúsque tractandum est, quomodo respondeamus eis, qui dicunt: Si in illa rectitudine in qua sine vitio factus est, habuit perseverantiam, proculdubio perseveravit in ea. Et si perseveravit, utique non peccavit, nec illam suam rectitudinem Deúmque deseruit. Eum autem peccâsse, & desertorem boni fuisse, veritas clamat. Non ergo habuit in illo bono perseverantiam, & si non habuit, non utique accepit. Quomodo enim & accepisset perseverantiam, & non perseverasset? Porrò si propterea non habuit quia non accepit, quid ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit? Neque enim dici potest ideo non accepisse, quia non est discretus à massa perditionis gratiæ largitate: Nondum quippe erat illa in genere humano perditionis massa antequàm peccâsset, ex quo tracta est origo vitiata. Quapropter saluberimè confitemur, quòd rectissimè credimus, Deum dominúmque rerum omnium qui creavit omnia bona val-

de, & mala ex bonis exortura esse præscivit, & scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis benefacere, quàm mala esse non sinere: sic ordinâsse Angelorum & hominum vitam, ut in ea priùs ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium justitiæque judicium. Denique Angeli quidam, quorum princeps est qui dicitur diabolus per liberum arbitrium à Domino Deo refugæ facti sunt. Refugientes tamen ejus bonitatem qua beati fuerunt, non potuerunt ejus effugere judicium, per quod miserrimi effecti sunt; Cæteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt, eámque de suo casu numquam futuro certissimam scire meruerunt. Si enim nos de scripturis sanctis nosse potuimus sanctos Angelos jam nullos esse casuros, quànto magis hoc ipsi revelata sibi sublimius veritate noverunt. Nobis quippe beata sine fine vita promissa est, & æqualitas Angelorum. Ex qua promissione certi sumus, cùm ad illam vitam post judicium venerimus, non inde nos esse lapsuros: quod si de seipsis Angeli nesciunt, non æquales, sed beatiores erimus. Veritas autem nobis eorum promisit æqualitatem. Certum est igitur hoc eos nôsse per speciem, quod nos per fidem, nullam scilicet jam ruinam cujusquam sancti Angeli futuram. Diabolus verò & Angeli ejus, etsi beati erant antequàm caderent, & se in miseriam casuros esse nesciebant, erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tanquàm præmium ipsius permansionis acciperent, id est, ut magna per Spiritum sanctum data abundantia charitatis Dei, cadere

ulteriùs

ulteriùs omninò non possent, & hoc de se certissimè nôssent: hanc plenitudinem beatitudinis non habebant: sed quia nesciebant suam futuram miseriam, minore quidem, sed tamen beatitudine sine ullo vitio fruebantur. Nam si suum casum futurum nossent æternúmque supplicium, beati utique esse non possent, quos hujus tanti mali metus jam tunc miseros esse compelleret. Sic & hominem fecit cum libero arbitrio, & quamvis sui futuri casus ignarum, tamen ideo beatum, quia & non mori & non miserum fieri in sua potestate esse sentiebat. In quo statu recto ac sine vitio, si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset, profectò sine ullo mortis & infelicitatis experimento, acciperet illam merito hujusmodi permansionis, beatitudinis plenitudinẽ, qua & sancti Angeli sunt beati, id est, ut cadere non posset ulteriùs, & hoc certissimè sciret. Nam neque ipse posset etiam in paradiso beatus esse, imò ibi non esset, ubi esse miserum non deceret, si eum sui casus præscientia timore tanti mali miserum faceret. Quia verò per liberum arbitrium Deum deseruit, justum judicium Dei expertus est ut cum tota sua stirpe quæ in illo adhuc posita, tota cum illo peccaverat, damnaretur. Quotquot enim ex hac stirpe gratia Dei liberantur, à damnatione utique liberantur, quâ jam tenentur obstricti: unde etiam si nullus liberaretur, justum Dei judicium nemo justè reprehenderet. Quòd ergo pauci in comparatione pereuntium, in suo vero numero liberantur multi, gratia fit, gratis fit, gratiæ sunt agendæ quia fit, ne quis velut de suis meritis extollatur, sed omne os obstruatur, & qui gloriatur, in Domino glorietur.



CAP. III.

Pro explicatione utriusq; Adjutorii sine quo & quo, *doctrina decimi capitis expenditur.*

INitio capitis proponit Augustinus, quod perpetuò observat, duas illas hominum classes, prædestinatorum & reproborum, docétque utrósque ad perseverantiam esse & vocandos, & hortandos à nobis: nam etsi jam à Deò sint alii prædestinati, alii derelicti, atque adeo certum sit prædestinatos salvandos, derelictos damnandos, tamen cum nos id ignoremus, non debemus aut non orare pro omnibus, aut non corripere omnes, aut non hortari omnes. Quemadmodum enim nostra non interest scire qui misericordia Dei ex massa in Adamo damnata destinati sint ad salutem, qui in ea ejusdem judicio ad damnationem relicti, ita maximè refert nullos ab orationibus nostris, exhortationibúsque excludere, sed omnibus opem & operam nostram impendere. Quibus vero proficiat, aut non proficiat, penes Deum esse scire apud quem jam sunt & discreti & cogniti.

Deinde quærit: supposito, quòd perseverantia sit Donum Dei, prædestinatos omninò ad salutem ducens: an locum habuerit in Adamo ante lapsum, cùm sine ullo naturæ vitio conditus est, & in statu innocentiæ,

nocentiæ, ut aiunt, constitutus? Antequam respondeat, objicit sibi, quâ ratione dicat Adamum caruisse vitio in eo statu, cùm caruerit perseverantia? ac respondet aliud esse habere bonum, aliud perseverare in bono: Adamum cùm sine vitio fuit, in bono fuisse, in quo debuisset perseverare, imo ex eo quòd non perseveravit in bono, apparere in bono fuisse, ex quo cecidit non perseverando: nam cujus tantum perseverantia exigitur, is non est in malo, sed in bono: quòd si in eo non perseverat, jam incipit habere malum, cùm in eo non perseverat. Itáque vitium non habere, pertinet ad principium, perseverare pertinet ad continuationem, & finem; unde qui cœpit bene, bonum habet, in quo cùm à bono defecit, in eo non perseveravit, & non perseverando indicavit in bono fuisse quòd amisit: cùm nemo possit amittere nisi quòd habebat: nec nisi in eo, in quo erat, perseverare.

Remotâ objectione, quæstionem præcipuam movet, quæ sic formatur. Perseverantia Donum Dei est, quòd à Deo accipiunt qui perseverant, Adamus non perseveravit, igitur perseverantiam non accepit à Deo: hoc posito non videtur Adamus peccasse non perseverando, atque adeo omninò non peccâsse. Nam cùm cæperit peccare non perseverando, si non peccavit non perseverando, prorsus non peccavit. Quod autem non peccaverit, non perseverando apparet, ex eo quòd non accepit hoc donum à Deo; nam si perseverantia est à Deo, & Deus non dedit perseverantiam, quî potuit peccare Adamus defectu per-

perſeverantiæ quam non accepit.

Hinc gradum facit ad inquirendam cauſam cur Adamus non perſeveraverit: ac primum ſtatuit diverſam in eo & in nobis cauſam fuiſſe: nam in nobis cauſæ perſeverandi, & non perſeverandi ſupponunt ſtatum ruinæ in maſſa damnata per lapſum Adami: nam qui in ea per miſericordiam diſcernuntur, & eliguntur à Deo, accipiunt perſeverantiam: qui in ea per judicium derelinquuntur, non accipiunt. At vero cauſa non perſeverandi in Adamo non potuit in hoc ſtatu fundari, cum adhuc non eſſet ille ſtatus quem Adamus cadendo induxit. Nec enim maſſa damnata niſi per illius peccatum cœpit: quòd peccatum fuit, non perſeverare. Itáque ejus poſteri, quia non perſeverant, cauſam non perſeverandi habent in maſſa, ex qua non ſunt diſcreti, & poſſunt dicere non accepiſſe à Deo, quia ſunt relicti in maſſa perditionis. Adamus vero cum non perſeveravit, aliam habere debuit cauſam, cum ante maſſam damnationis ſtatu in integro ac erecto fuiſſet. Unde non poterat dicere non accepiſse donum illud à Deo, quia derelictus erat inter damnatos. Perſpicuè Auguſtinus, & breviter; *nec enim dici poteſt ideo non accepiſſe, quia non eſt diſcretus à maſſa perditionis gratiæ largitate: nondum quippe erat illa in genere humano perditionis maſsa antequam peccâſset, ex quo tracta eſt origo vitiata.* Animadvertendum autem Auguſtinum non quærere, acceperitne Adamus an non acceperit perſeverantiam à Deo, ſed tantùm rationem, cur non perſeveraverit, inquirere; & negare inquirendo in diſcretione à maſ-

ſa damnata fundari: ut longè diverſum fuiſſe affirmet: quod jam incipit & profundiùs & operoſiùs agere. Ait ergo Deum cum prævidiſſet caſum Angelorum Adamíque futurum, non ideo tamen ab iis condendis abſtinere voluiſſe, quod mallet *de malis benefacere, quàm mala eſſe non ſinere*: condidit igitur naturam angelicam, & humanam in ſtatu recto citra vitium, puram & ſanam, ſui compotem, liberam, expeditam, ſui arbitrii, & poteſtatis, ut quocúnque vellet, eò mentem voluntatémq; traduceret. Qua in re duo ſtatuit Auguſtinus: alterum eandem fuiſſe angelorum & Adami ante lapſum rationem ſtatus & libertatis, utróſq; conditos innocentes, puros, integros erectos, bonos quæ ad ſtatum pertinent. Utróſq; ad virtutem pro libito faciles & promptos, ad vitiū liberos non inclinatos, ut quidquid vellent agere in ſua poteſtate haberent. Sive benè agerent, ſive ſecus, libero eorum arbitrio aſſignandum: quod in utrámque ſe partem prolibito flectebat. *Qui ſteterunt angeli boni per ipſum arbitrium liberum in veritate ſteterunt. Qui mali per liberum arbitrium à domino Deo refugæ facti ſunt.* Poterant hi per liberum arbitrium in veritate ſtare, & illi per idem liberum arbitrium ab ea deficere. Sed alii cadere, quàm ſtare, alii ſtare quàm cadere maluerunt. Eadem ratione Adamus poterat *in ſuo ſtatu recto ac ſine vitio manere ſi per ipſum liberum arbitrium manere voluiſſet*: poterat per idem liberum arbitrium Deum deſerere. Et utrúmque cum poſſet, *manere* noluit, *deſerere* voluit. Par igitur, imo & ſimilis Angelis Adamus in operando fuit,

in ſtatu innocentiæ Authore Auguſtino. Pergo ex eo audire *Deum voluiſſe hac ratione monſtrare primum quid poſſit in angelis & hominibus liberum arbitrium, deinde quid poſſit ſuæ gratiæ beneficium juſtitiæque judicium. Nam pravi angeli miſerrimi effecti ſunt. Boni ſummæ beatitudinis plenitudinem in præmium acceperunt.* Adamus vero *Deum deſerens cum tota ſua ſtirpe damnatus eſt.* Ita in bonis Angelis beneficium gratiæ, in malis & Adamo juſtitiæ judicium apparuit. Hæc vero duo cujuſmodi fuerint Auguſtinus exponit, docens Angelos bonos ob ſuam perſeverantiam liberam conſecutos fuiſſe æternam ſanctitatem, & certam ejus & futuræ gloriæ ſuæ notitiam quo plenè beati ſunt effecti, cùm antea inchoatè tantum beati eſſent, quod de futura in eo ſtatu permanſione certi non erant. Hoc igitur perſeverando meruerunt, ut non poſſent cadere, & omninò caſuros non eſſe ſe ſcirent, & beatos æternùm cum Deo in gloria fore. Itáque antequam libero arbitrio ſtare vellent, qui per liberum arbitrium cadere voluerunt, beatiores non erant, cum nec adhuc meruiſſent perpetuitatem in gratia, nec ſecuritatem præmii, qua certè ratione omnes antequam eos meritum diſtingueret, æquales erant. Cum & qui ceciderunt, beati eſſent ante caſum beatitudine inchoata: quod ſcirent in manu ſua eſſe perſeverare, & neſcirent ſe caſuros eſſe, ſed intercurrente peccato ab illa pace & beatitate amiſſo gratiæ ſtatu & inciſa ſpe futuræ gloriæ mali ceciderunt: boni vero addito perſeverantiæ ſuæ merito firmam & perpetuam gratiam cum futuræ revelati-

one

one gloriæ receperunt. Et quidam ita *de Angelorum vita*, ut vocat, Auguſtinus ſentit. Mox de Adamo innocente ac puro docet: factum à Deo cum libero arbitrio, ut quamvis ſui futuri caſus ignarum, tamen ideo beatum, quia & non mori, & non miſerum fieri in ſua poteſtate eſſe ſentiebat. Parem angelis in ſtatu beatitudinis inchoatæ. In quo ſi manere pro arbitrio voluiſſet, ſimilis bonis angelis evaſiſſet, & beatitatem in qua fuit conditus complevisset, ut cadere non poſſet ulterius, & hoc certiſſimè ſciret. Quia verò perſeverare voluntate ſua noluit, ac Deum deſeruit, juſtas peccati ſui pœnas dedit, ſeque ſuóſque funditùs perdidit: eâ tamen differentiâ, quòd angeli mali ſinguli perierunt, nec quiſquam illorum fuit à miſeria liberatus; Adam verò cum tota ſua ſtirpe damnatus & in maſſam perditionis conjectus: ſed ex qua tamen multi Dei miſericordiâ liberandi erant. Pluribus ejuſdem Dei judicio in damnatione derelictis. Unde concluditur miſericordiâ liberari illos, juſtitiâ hos condemnari, nec attendi merita, ubi nemo innocens, rei omnes; ſed gratiam Dei, qui voluit quoſdam ex illo miſerrimo ſtatu eruere, eóſque gratis ſalvare, ídque ex eo conſtare, quod ſi nullum eorum Deus liberaret, injuſtus eſſe non poſſet, cum omnes juſtè poſſet damnare.

Hic eſt hujus capitis decimi ſententia, non meliùs, nec nitidiùs, ſed latiùs expoſita: nec dubito, quin ſi Auguſtinus ipſe legatur, faciliùs intelligatur, quam ſi ego aut quiſquam aliùs exponat: non eget inter-

prete locus ſed, lectore. Sanè cùm primùm in hæc incidi, quid ille vellet plane intellexi. Unum tamen in Auguſtino deſiderari animadverto; nimirum, cauſam cur Adamus non perſeveraverit? quod maximè optandum erat; ac ipſi propoſitum fuerat, nam id præcipuè quæſivit. Sed qui accuratè expendat, quæ ille de ratione operandi angelorum, & Adami tradidit, comperiet fundamenta ad reſponſionem jeciſſe, ac in iis inſinuaſſe cauſam non perſeverandi. Patet ex illius doctrina de modo operandi in ſtatu integritatis,& innocentiæ, omninò diverſo à modo perſeverandi in ſtatu ruinæ: nam in poteſtate angelorum & Adami erat perſeverare in bono, atque adeò perſeverantia ipſa eorum meritis tribuenda, cum ipſi pro ſuo arbitrio perſeverarint. Unde qui non perſeverarunt, iis nullum fuit impedimentum, imo nec difficultas quidem ad perſeverandum,nam non extra eos erat, ſed intra, cauſa non perſeverandi. Itáque in arbitrio, cauſæ perſeverandi, & non perſeverandi requirendæ. Perſeverantia in angelis & Adamo non tam erat donum quam meritum, cùm pro arbitrio poſſent perſeverare, & non perſeverare. Unde defectus perſeverandi non tam ad difficultatem, aut impedimentum, aut pœnam, quàm ad negligentiam, aut culpam operantium pertinebat. Summa eſto: angelos bonos perſeveraſſe quia voluerunt: malos non perſeveraſſe, quia noluerunt, cùm facile poſſent perſeverare.

Qua ratione Adamus noluit omninò perſeverare; cum poſſet ex arbitrio ſuo perſeverare: ex poſteris autem

autem Adami, ideo electi perseverant in bono, quia iis datur donum perseverandi, quod acceptum Deo tribuere debent, cùm gratis, & ex misericordia immerentibus dederit: qui non perseverant, ii justo Dei judicio non acceperunt: nec mirandum, cum ipsis gratia non deberetur in massa perditionis derelictis. Hæc quæ in illa ratione operandi ex libero arbitrio, & ex gratia fundantur, Augustinus hoc capite insinuat, clariùs & accuratiùs in proximis tractanda. Quò etiam duo alia non parvi momenti dubia reservavit: An, & quæ gratia necessaria esset Angelis & Adamo ad perseverandum ex libero arbitrio? & utrum esset à gratia hominibus in statu ruinæ perseverantibus collata, & quatenus, diversa? nam hæc attentus lector desiderare posset. Pergamus omnia ex Augustino discere.



CAP. IV.

Undecimum ejusdem libri caput affertur.

QUid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? imò verò habuit magnam, sed disparem. Ille in bonis erat, quæ bonitate sui conditoris acceperat. Neque enim ea bona ille suis meritis comparaverat, in quibus prorsus nullum patiebatur malum. Sancti verò in hac vita ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis sunt,

ex

ex quibus clamant ad Deum : Libera nos à malo. Ille in illis bonis Chriſti morte non eguit : iſtos à reatu & hereditario & proprio, illius Agni ſanguis abſolvit. Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant iſti cùm dicunt : Video aliam legem in membris meis repugnantẽ legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis : Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum : quoniam in eis caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus adverſus carnem, atque in tali certamine laborantes ac periclitantes, dari ſibi pugnandi vincendique virtutem per Chriſti gratiam poſcunt. Ille verò nulla tali rixa à ſeipſo adverſus ſeipſum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco, ſua ſecum pace fruebatur. Proinde etſi non interim lætiore nunc, veruntamen potentiore gratia indigent iſti : & quæ potentior quàm Dei unigenitus Filius, æqualis Patri & coæternus pro eis homo factus, & ſine ullo vel originali vel proprio peccato ab hominibus peccatoribus crucifixus ? Qui quamvis die tertio reſurrexit, nunquam moriturus ulteriùs, pertulit tamen pro mortalibus mortem, qui mortuis præſtitit vitam, ut redempti ejus ſanguine, tanto ac tali pignore accepto dicerent : Si Deus pro nobis, quis contra nos ? Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non & cum illo omnia nobis donavit ? Deus ergo naturam noſtram, id eſt, animam rationalem carnémque hominis Chriſti ſuſcepit, ſuſceptione ſingulariter mirabili, vel mirabiliter ſingulari, ut nullis juſtitiæ ſuæ præcedentibus meritis filius Dei ſic eſſet ab initio quo eſſe homo cœpiſſet, ut ipſe & verbum quod

quod ſine initio eſt, una perſona eſſet. Néque enim quiſquam tantæ rei hujus & fidei cæcus eſt ignorantiâ, ut audeat dicere, quamvis de Spiritu ſancto & Virgine Maria filium hominis natum, per liberum tamen arbitrium bene vivendo, & ſine peccato bona opera faciendo meruiſſe, ut eſſet Dei filius, reſiſtente Evangelio atque dicente: *Verbum caro factum eſt.* Nam ubi hoc factum eſt, niſi in utero virginali, unde fuit initium hominis Chriſti? Itémq; Virgini requirenti, quomodo fieret quod ei per Angelum nunciabatur, Angelus reſpondit: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obrumbabit tibi: Propterea quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Propterea, inquit, non propter opera, quæ nondum nati utique nulla ſunt: ſed propterea quia *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei* Iſta nativitas profectò gratuita conjunxit in unitate perſonæ hominem Deo, carnem Verbo. Iſtam nativitatem bona opera ſecuta ſunt, non bona opera meruerunt. Néque enim metuendum erat, nè iſto ineffabili modo in unitatem perſonæ à verbo Deo natura humana ſuſcepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cùm ipſa ſuſceptio talis eſſet, ut natura hominis à Deo ita ſuſcepta, nullum in ſe motum malæ voluntatis admitteret. Per hunc mediatorem Deus oſtendit eos quos ejus ſanguine redemit, facere ſe ex malis deinceps in æternum bonos, quem ſic ſuſcepit, ut nunquam eſſet malus, nè ex malo factus bonus non ſemper eſſet bonus. Iſtam gratiam non habuit homo primus, quà nunquã vellet eſſe malus, ſed ſanè habuit in qua ſi permanere vellet, nunquam malus eſſet, & ſine

qua

qua etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet, ſed eam tamen per liberum arbitrium deſerere poſſet. Nec *ipſum ergo Deus eſſe voluit ſine ſua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio: quoniam liberum arbitrium ad malú ſufficit, ad bonum autem parum eſt, niſi adjuvetur ab omnipotenti bono: quod adjutorium ſi homo ill. per liberum non deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonus: ſed deſeruit, & deſertus eſt. Talo quippe erat adjutorium quod deſereret cùm vellet, & in quo permaneret ſi vellet, non quo fieret ut vellet. Hæc eſt prima gratia quæ data eſt primo Adam, ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim qua fit, ut habeat homo juſtitiam ſi velit, ſecunda ergo plus poteſt, qua etiam fit ut velit, & tantum velit, tantóque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem, voluntate ſpiritus vincat. Nec illa quidem parva erat qua demonſtrata eſt etiam potentia liberi arbitrii, quoniam ſic adjuvabatur, ut ſine hoc adjutorio in bono non maneret, ſed hoc adjutorium ſi vellet deſereret. Hæc autem tanto major eſt, ut parum ſit homini per illam reparare perditam libertatem, parum ſit denique non poſſe ſine illa, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono ſi velit, niſi etiam efficiatur ut velit. Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem: in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum. Dederat & adjutorium, ſine quo in ea non poſſet permanere ſi vellet: ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. Poſſet ergo permanere ſi vellet, quia non deerat adjutorium per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profectò ejus culpa eſt, cujus meritum fuiſſet,*

ſet, ſi permanere voluiſſet: ſicut fecerunt Angeli ſancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & hujus manſionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantum ſcilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certiſſimum ſit ſemper ſe in illa eſſe manſuros. Si autem hoc adjutorium, vel Angelo, vel homini quamprimùm facti ſunt defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere ſi vellet, non utiq; ſua culpa cecidiſſent. Adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent. Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt: quibus autem datur, ſecundùm gratiam datur, non ſecundum debitum: & tanto amplius datur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id dare Deo placuit, ut non ſolùm aſſit ſine quo permanere non poſſumus, etiam ſi velimus, verumetiam tantum ac tale ſit, ut velimus. Eſt quippè in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo & perſeveranter tenendo, non ſolum poſſe quod volumus, verumetiam velle quod poſſumus. Quod non fuit in homine primo: unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit. Námque ut reciperet bonum, gratia non egebat, quia nondum perdiderat: ut autem in eo permaneret, egebat adjutorio gratiæ, ſine quo id omnino non poſſet: & acceperat poſſe ſi vellet, ſed non habuit velle quod poſſet, nam ſi habuiſſet, perſeveraſſet. Poſſet enim perſeverare etiam ſi vellet: quod ut nollet, de libero deſcendit arbitrio, quod tunc ita liberum erat, ut benè velle poſſet & malè. Quod erit autem liberius libero arbitrio, quandò non poterit ſervire peccato, quæ futura erat & homini, ſicut facta eſt & Angelis ſanctis merces meriti? Nunc autem per peccatum,

perdito bono, meritò in his qui liberantur, factum est donum gratiæ quæ merces meriti futura erat. Quapropter bina istar quid inter se differant, diligenter & vigilanter intuendum est: posse non peccare, & non posse peccare: posse non mori, & non-posse mori: bonum posse non deserere, & bonum non posse deserere. Potuit enim non peccare primus homo, potuit non mori, potuit bonum non deserere. Nunquid dicturi sumus, non potuit peccare qui tale habebat librum arbitrium? Aut non potuit mori, cui dictum est, Si peccaveris, morte morieris? Aut non potuit bonum deserere, cùm hoc peccando deseruerit, & ideo mortuus sit? Prima ergo libertas erat, posse non peccare: novissima erit multò major, non posse peccare. Prima immortalitas erat posse non mori: novissima erit multò major, non posse mori. Prima erat perseverantiæ potestas, bonum posse non deserere: novissima erit fœlicitas perseverantiæ, bonum non posse deserere.



CAP. V.

Exponitur proximè allati capitis doctrina.

APtè incipit Augustinus: nam cum in fine capitis decimi dixisset: *quòd verò pauci in comparatione pereuntium; in suo vero numero liberantur multi, gratis fit: gratiæ sunt agendæ quia fit, nequis velut de suis meritis extollatur, sed omne os obstruatur*

obstruatur & qui gloriatur, in domino glorietur. Quibus verbis cùm docuisset Adami posteros à massa perditionis discretos ad gratiam pertinere, atque adeò non tàm meritis, quàm Dei beneficio eorum salutem assignandam, ac libero Adami arbitrio gratiam quodam modo opposuisset: Consequens erat dubitare, Utrum Adamus innocens ex gratia operaretur, & cujusmodi ea gratia esset, quæ cum libero arbitrio & proprio merito staret? Cùm operari ex arbitrio, & propria habere merita vix cum gratia videatur posse componi. Vel certè ut utrúmque nectatur. Quomodo Augustinus perseverantiam in statu innocentiæ arbitrio & meritis tribuat, sine ulla gratiæ mentione: at vero perseverantiam in statu ruinæ, non meritis & libero arbitrio, sed gratiæ ex integro assignet. Igitur movet quæstionem Augustinus: *quid ergo* inquit? *Adam non habuit Dei gratiam?* hoc ipsum quivis lector quæsisset. Cui Augustinus respondet; habuisse. Sed quæ, & cujusmodi fuisset, ulterius investigandum erat. Id exponit dicendo magnam fuisse & disparem quæ data est posteris in statu ruinæ. Affirmat gratiam fuisse in Adamo, quia sine vitio, innocens, in bono creatus est à Deo. Probat eam verè gratiam fuisse, quia suis eam meritis non comparaverat. In quo similis erat Adami innocentis gratia gratiæ hominis lapsi; quòd neutra ex meritis esset; alioqui non esset juxta Paulum gratia. Tum pergit inducere differentias istarum hominis sani, & infirmi gratiarum. Tres affert. Prima: Gratia hominis integri erat sanitatis in bonis: gratia lapsi erat libe-

rationis à malis : nam illa conſervabat in bono gratiæ, accepto à Deo : hæc liberabat à malo illato ab homine. Secunda : Gratia hominis Integri non fuit ex meritis Chriſti, quemadmodum nec gratia Angelorum, cùm non fuerit redemptionis gratia; Lapſi fuit omnino ex meritis Chriſti, & ab ejus ſanguinis fonte defluxit. Quo pretio redempti ſunt homines à ſervitute peccati & Diaboli. Unde Auguſtinus disertè ait : gratiam primi hominis integri, Dei eſſe, & Conditoris eſſe : gratiam lapſi eſſe Chriſti, & redemptoris. Idque diſcrimen accuratè obſervandum.

Tertia : Gratia hominis *integri* erat *minor & infirmior* quòd valentem naturam ita juvabat, ut *poſſet* perſeverare, non *efficiebat* ut perſeveraret : Gratia hominis reparati erat *major* & *potentior*, tum quòd naturam lapſam erigebat, & confirmabat *ut poſſet* : tum quod efficiebat, *ut vellet*. Itaque prima erat ſolum *adjutorium ſine quo* non poterat homo perſeverare: non quo fiebat ut perſeveraret : Secunda non ſolum eſt adjutorium ſine quo non poſſet, ſed etiam quo fiat ut perſeveret. Prima dabat poſſe : ſecunda dat poſſe, & velle. Prima dabat potentiam, actum non inferebat : ſecunda & potentiam dat, & actum inducit.

Summa eſt : Adam in ſtatu integro habuiſſe magnam gratiam, ſed diſparem ab ea quæ fuit in ſtatu ruinæ. Illam communem Angelis, non à Chriſto redemptore : hanc propriam hominis redempti, à Redemptore Chriſto. Illam minorem quod eſſet tan-

tum

tum *adjutorium ſine quo*: hanc majorem quòd etiam ſit *adjutorium quo.* Tres partes habet hujuſmodi doctrina. Omnium cauſas affert Auguſtinus. Circa primam docet Adamo neceſſariam fuiſſe gratiã, quia cum ſolo libero arbitrio ſine gratia non poterat eſſe bonus: nam in arbitrio quod eſt *liberum*, naturæ eſt: quod *ſanctum*, gratiæ eſt. *Itáque liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem parum eſt niſi adjuvetur ab omnipotenti bono.* Non igitur Deus voluit eſſe Adam ſine ſua gratia, qua fiebat, ut haberet juſtitiam ſi vellet: *ſine qua in bono non maneret*, quia ſine illa manere non poterat per naturam. Addit Auguſtinus: ſi hujuſmodi gratia carerent Angeli, & Adamus, eos non eſſe ex defectu auxilii peccaturos Quî enim peccare poſſent, qui peccatum vitare non poſſent? *Si autem*, inquit, *hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, cum primum facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere, ſi vellet, non utique ſua culpa cecidiſſent. Adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent.* Cum hoc adjutorio potuit Adamus non peccare, & potuit benè agere & in bono permanere: eo adjutus *in poteſtate habuit perſeverare*: *ſine illo non potuit omnino perſeverare*: *nam ut id poſſet, egebat adjutorio gratiæ. Habuit ergo gratiam & magnam gratiam. Nec enim parva erat quâ demonſtrata eſt potentia liberi arbitrii, quoniam ſic adjuvabatur, ut ſine hoc adjutorio in bono non maneret.*

Quod attinet ad ſecundum: docet gratiam hominis primi & Angelorum à conditore Deo non à

Redemptore Chriſto fuiſſe, quòd redemptionis, & reparationis non fuit. Et verè illa gratia ſupponebat bona, excludebat mala: conſervabat in bonis, non eripiebat à malis. Hæc cum poſt ruinam daretur homini lapſo, ſupponebat mala, in quæ inciderat, & ab iis liberabat jacentem. Liberatore, Redemptore, Salvatore opus erat. Adamus, ait Auguſtinus, *bonis erat: hi in malis ſunt. Ille in illis bonis Chriſti morte non eguit: iſtos à reatu hæreditario & proprio illius agni ſanguis abſolvit.* Deinde expoſito, & collato utriúſque hominis integri & lapſi ſtatu, deſcribere Auguſtinus Redemptionis beneficium aggreditur, & Incarnationem ipſam verbi, *gratiam* vocat: duplici ſenſu: tum quòd fons gratiæ reparati hominis fuit; tum quòd ipſa gratis ac nullis præcedentibus meritis ejus hominis facta fuit. *Potentiore gratia indigent iſti, & quæ potentior, quàm Dei unigenitus filius pro eis homo factus, & crucifixus?* Hic primus eſt ſenſus: tum ad ſecundum. *Deus* inquit, *naturam noſtram, ſcilicet, animam rationalem, carnémque hominis Chriſti ſuſcepit: ut nullis juſtitiæ ſuæ præcedentibus meritis filius Dei ſic eſſet ab initio, quo eſſe homo cœpiſſet, ut ipſe & Verbum quod ſine initio eſt, una perſona eſſet.* Et paulò poſt: *iſta nativitas profectò gratuita conjunxit in unitate perſonæ hominem Deo, carnem Verbo. Iſtam nativitatem bona opera ſecuta ſunt, non bona opera meruerunt.* Ex quo apparet, Chriſtum fuiſſe cauſam meritoriam gratiæ noſtræ, & effectricem; cum *nos illius agni ſanguis abſolverit, qui pro nobis eſt homo factus & crucifixus, ut redempti ejus ſanguine acciperemus*

mus gratiam tanto majorem, ut parum esset homini per illam reparare perditam libertatem, parum non posse sine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, si vellet; nisi etiam efficeretur, ut vellet. Hæc gratia data est per Jesum Christum dominum nostrum. Hujus adjutorium *secundum gratiam datur, non secundum debitum, & tantò amplius datur per Jesum Christum dominum nostrum, ut tantum ac tale sit ut velimus.* Itaque *certamine carnis & spiritus laborantes, ac periclitantes dari sibi pugnandi, vincendíque virtutem per Christi gratiam poscunt.* Imo & Exemplarem fuisse significat: cum dicit, nullis præcedentibus meritis, sed gratis eum hominem esse susceptum, ut similis esset electio prædestinatorum per Christum ad gratiam & gloriam, electioni ipsius ad unionem hypostaticam. Idcircò respiciens ad id quod proximo capite dixerat, rationem merendi hominis integri eam esse, ut per liberum arbitriũ perseverans præmium beatitatis, ceu mercedem acciperet, quòd merito redderetur, non gratis daretur: non autem esse hujusmodi hominis reparati, cui non ex meritis arbitrij, sed ex beneficio gratiæ datur perseverantia, & gloria gratuita: docet Christum non meruisse per liberum arbitrium, ut esset Dei filius, sed id gratuitò accepisse; ut in eo Deus exemplar gratiæ nostræ proponeret, quâ ex Dei misericordia prædestinati sumus.

Nec enim quisquam, aït, audeat dicere, quoniam de spiritu sancto & virgine Maria filius hominis natus per liberum tamen arbitrium bene vivendo & bona opera faciendo meruisse, ut esset Dei filius, resistente Evangelio atque dicente:

dicente: verbum caro factum eſt, & infra: *prӕterea quia ſpiritus ſanctus ſuperveniet in te, non propter opera quӕ nondum nato utique nulla ſunt*: mox *gratuitam* appellat *nativitatem* quòd gratis facta ſit, quemadmodum ſupra dixerat electionem prædeſtinatorum gratis factam, quod ex gratia non ex meritis eſſet, quæ nonpræcederent gratiam ſed ſequerentur. Vnde iterum de Chriſti nativitate: *iſtam nativitatem bona opera ſecuta ſunt, non bona opera meruerunt*. Ita liquidò conſtat Chriſtum apud Auguſtinum gratiæ & gloriæ reparati hominis exemplar & ideam fuiſſe. Poſteà confert gratiam Chriſto datam cum gratia collata Adamo; aitq; Chriſtum extra metum ac periculum peccati eſſe, ſemper iuſtum, & immaculatum: Adamum vero poſſe, ſi vellet, eſſe juſtum, ſed injuſtum etiam eſſe poſſe, et aliquando voluiſſe; quo indicat Chriſtum peccati omninò incapacem eſſe, ac peccare non potuiſſe. igitur: *neque enim metuendum erat ne iſto ineffabili modo in unitatem perſonӕ à verbo Deo natura humana ſuſcepta per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cùm ipſa ſuſceptio talis eſſet, ut natura hominis a Deo ita ſuſcepta nullum in ſe motum malӕ voluntatis admitteret. Iſtam gratiam non habuit homo primus: qua nunquam vellet eſſe malus. Sed ſanè habuit in qua ſi permanere vellet, nunquam malus eſſet.* Etſi verò non affirmet clarè Auguſtinus Chriſtum non potuiſſe peccare, ſed nunquam malum eſſe voluiſſe, ſequitur ex eo quod Adamo tribuit, ſenſiſſe Chriſtum non potuiſſe peccare: nam ad finem capitis circa poteſtatem peccandi, duo tantum quaſi extrema propoſuit.

it. *Posse non peccare, & non posse peccare*: aitq; posse non peccare, Adami integri fuisse; non posse peccare Beatorum esse. Quare cùm hæc duplex ratio recedendi à peccato sit: si Adamus habuit primam, Christus vendicat secundam, atq; adeo ille *potuit non peccare Christus peccare non potuit*. Tandem id quod caput est, docet Augustinus: diversam fuisse gratiam homini integro datam, ab ea, quæ collata est homini lapso, reparato per Christum. Ac primùm utrámque gratiam *adjutorium* vocat: ac in eodem nomine rem distinguit. Primam sic format: ait tale adjutorium fuisse, ut illud Adam in sua potestate haberet, nam eo pro libito, uti, & non uti poterat; poterat oblatum, cum vellet admittere, poterat reijcere; poterat applicare ad agendum, & removere, cum vellet: itaque illius usus ex arbitrio pendebat: nec illud flectebat arbitrium, sed ad nutum arbitrii flectebatur. *Tale quippe erat adjutorium quod desereret, cum vellet, & in quo permaneret si vellet. Quoniam eo sic adjuvabatur potentia liberi arbitrii, ut sine hoc adjutorio in bono non maneret, sed hoc adjutorium si vellet, desereret. Dederat Deus homini bonam voluntatem: dederat & adjutorium, sine quo in ea non posset manere si vellet: ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. Erat adjutorium per quod posset; & sine quo non posset perseveranter bonum facere*: illud adjutorium dabat *posse*, nam sine illo non poterat permanere Adamus, *per illud* poterat. *Posset permanere si vellet, quia non deerat adjutorium per quod posset.* Illud non erat ad recipiendam bonam voluntatem.

tatem necessarium, cum bonam eam homo à Deo accepisset. Ab eo conditus bonus & in bonis constitutus: sed necessarium omninò erat ad permanendum in eo bono, cùm sine eo permanere non posset, & cùm illo, ac per illud posset. *Namque ut reciperet bonum, gratia non egebat, quia in bona voluntate Deus fecerat rectum, nec dum eam perdiderat. Egebat tamen adjutorio gratiæ sine quo id omnino non posset, & acceperat posse si vellet.* Natura opus erat, & adjutorio gratiæ: cum illâ prorsus indigeret: sed usus illius in arbitrii erat potestate: poterat enim *Adamus illud deserere per liberum arbitrium, & cum deseruit, per liberum arbitrium deseruit. Poterat cum illo permanere si vellet, nam per illud acceperat posse, si vellet. Quod ut nollet, de libero descendit arbitrio, quod tum ita liberum erat ut benè velle posset & malè.* Apparet autem magis, cujusmodi hoc adjutorium esset; quod erat ejusdem rationis cum adjutorio Angelorum, qui ad arbitrium illo usi vel steterunt, vel ceciderunt. *Sicut* inquit, *fecerunt Angeli sancti qui cadentibus aliis per liberum arbitrium; per idem liberum arbitrium steterunt & ipsi.* Unde de hoc adjutorio ita loquitur, perinde ac utríq; Angelo, & homini commune esset. *Si autem hoc adjutorium,* inquit, *vel Angelo, vel homini cùm primùm facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent.* Summa esto; illud adjutorium dare solùm vires ad posse, non efficaciam ad velle; cùm omninò indifferentem ad utrámque partem actionis voluntatem relinqueret.

Non

Non hujusmodi erat adjutorium hominis lapſi reperati per Chriſtum. Nam cum ſupponeret lapſam, debilitatam, vulneratámque naturam, voluntatem averſam à bono, addictam malo, pronam in vitia, liberum arbitrium imminutum, inclinatum, captivum: debebat naturam erigere, confirmare, ſanare: voluntatem convertere, tenere, ſtatuere, arbitrium perficere, erigere liberare, ut bonum quod amiſerat culpâ, gratiâ reciperet; ac de inceps in eo recepto perſeveraret: ac ita reciperet ac perſeveraret, ut non ſolum poſſe acciperet à gratia, ſed etiam velle, tanta efficacia, ut non expectaret gratia, quid homo vellet, nec dubia quodammodo ex arbitrii natu penderet, ſed ipſa ſuapte virtute moveret, flecteret, traheret voluntatem, ac omnino conſenſum eliceret, ac velle ipſum efficeret. Ex his apparet majorem & potentiorem eſſe gratiam reparati hominis, quàm integri: id Auguſtinus perſpicuè. Poſtquam enim expoſuit cujuſmodi eſſet Adami ex Deo gratia; & ad gratiam reparationis per Chriſtum explicandam accederet: *Hæc eſt*, inquit, *prima gratia, quæ data eſt primò Adam: ſed hæc poſterior eſt in ſecundo Adam. Prima enim eſt, qua fit ut habeat homo juſtitiam ſi velit. Secunda ergo plus poteſt; qua etiam fit ut velit, & tantum velit, tantòque ardore diligat; ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem, voluntate ſpiritus vincat.* Procedit & inducendo effectus, cauſas ipſas diverſitatis, quas ſupra latius propoſuit, comparatione attingit. *Nec illa quidem parva erat, qua demonſtrata eſt etiam potentia liberi arbi-*

F *trii,*

trii; quoniam sic adjuvabatur, ut sine hoc adjutorio in bono non maneret, sed hoc adjutorium, si vellet, desereret. Hæc autem tantò major est, ut parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, parum sit denique non posse sine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono si velit, nisi etiam efficiatur, ut velit. Itaq; in primo statu gratiæ erat in potestate arbitrii, ideo hujus potentia monstrabatur, cum gratia pro libito uteretur. At in secundo arbitrium erat in gratiæ potestate: cujus efficacia apparebat in eo, quòd ipsum velle efficiebat. *Tanto amplius datur per Jesum Christum Dominum nostrum, ut non solum adsit sine quo permanere non possumus etiam si velimus; verum etiam tantum ac tale sit ut velimus. Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseveranter tenendo, non solum posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus: quod non fuit in homine primo.* Nam primum illud adjutorium tantum dabat posse: secundum & posse & velle. Nam potentiam in actum reducebat. Igitur hoc adjutorium gratiæ Christi includebat illud primum adjutorium, cum daret posse: & addebat amplius ipsum *velle*: continebat potentiam, & actum afferebat. Per primum fiebat voluntas potens ad operandũ. Per secundum operans fiebat. Unde sicut actus sine potentia esse non potest, & sine actu potest esse potentia; ita gratia reparationis gratiã integritatis continebat; hæc autẽ illã non conferebat. Acceperat per primã homo *posse si vellet*: per secundam *velle quod posset.* Unde major & potentior est secunda gratia, quàm prima: major; quia illam continet,

continet, & ab illa non continetur: imo illa altero tanto excedit cum det poſſe, & velle. Potentior; quòd naturæ debilitatæ ac infirmæ, arbitrio captivo, & impedito tantum virium & libertatis addat, ut non ſolum poſſit quod Adam integer & valens potuit, ſed etiam agat, & præſtet, quod ille nec egit, nec præſtitit. Pergit docere Auguſtinus perſeverantiam quæ in primo ſtatu merces futura erat arbitrii, bene utentis gratia, eſſe in ſecundo ſtatu gratiæ donum. Quo declaravit in ſecundo ſtatu perſeverantiam ad gratiam pertinere, ac omnino donum eſſe Dei per Chriſtum, quod meritis acceptum referri non poſſet, cum perſeverantia primi ſtatus meritis, & arbitrio eſſet aſſignanda. *In his*, inquit, *qui liberantur factum eſt donum gratiæ quæ merces meriti futura erat.* Unde quod inter donum gratuitum, & mercedem interſit; id inter perſeverantiam ſecundi ſtatus & primi intereſſe: nam illa gratis & citra meritum datur, hæc verò ex juſtitia & meritis redditur.

Tandem concludit in fine capitis Auguſtinus duas libertatis à peccato ſpecies eſſe: alteram propriam ſtatus integri in via; alteram beati, poſt viam. Primam; *poſſe non peccare*. Secundam: *non poſſe peccare.* Duas item immortalitatis; primam, *poſſe non mori*: Secundam; *non poſſe mori.* Duas etiam perſeverantiæ facultates; *poſſe bonum non deſerere*, & *non poſſe bonum deſerere*: Adamum innocuum, & integrum potuiſſe non peccare, potuiſſe non mori, potuiſſe bonum non deſerere. Beatum hominem poſt mor-

tem, non posse peccare, non posse mori, non posse cadere. De medio autem statu naturæ lapsæ nihil interim Augustinus, nec nos de eo quidquam commemorabimus, donec ipsa res moneat, quid de ejus libertate sentiendum. Illud tantum dico Augustinum eo abstinuisse, quod sit potius servitutis & mortis, quàm Libertatis & immortalitatis. Quod vero attinet ad duas illas species libertatis & immortalitatis, multo majorem esse perfectionem secundæ in statu beato, quàm primæ in integro libertatis, & immortalitatis, atque adeo longè præstare fecilitatem beati, qui non potest cadere; facultate hominis integri qui cum posset non cadere, cecidit tamen, nec perseveravit.



CAP. VI.

Textus capitis duodecimi ejusdemmet libri proponitur.

NUnquid quia erunt bona novissima priora atque meliora, ideo fuerunt illa prima vel nulla vel parva? Itémque ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cùm affuerint alementa, eis fit ut vivat qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimen-

torum

torum est, sine quo non fit, non quo fit ut vivamus. At verò beatitudo quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus. Adjutorium est enim non solùm sine quo non fit, verumetiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium & quo fit est, & sine quo non fit. Quia & si data fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus: & si data nunquam fuerat, nunquam erit. Alimenta verò non consequenter faciunt ut homo vivat, sed tamen sine illis non potest vivere. Primo itaque homini, qui in eo bono quo factus fuerit rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori; posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut preseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adjutorium preseverantiæ datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur, non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verumetiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint. Non solùm enim dixit, Sine me nihil potestis facere: verumetiam dixit: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Quibus verbis eis non solùm justitiam, verum etiam in illa perseverantiam se dedisse monstravit. Christo enim sic eos ponente ut eant & fructum afferant, & fructus eorum maneat, quis audeat dicere, forsitan non manebit? Sine pœnitentia sunt enim dona & vocatio Dei, sed vocatio eorum qui secundùm propositum vocati sunt. Pro his ergo interpellante Christo ne deficiat fides eorum, sine dubio non deficiet usq; in finem: ac per hoc perseverabit us-

que

que in finem, nec eam niſi manentem vitæ hujus invenit finis. Major quippe libertas eſt neceſſaria adverſus tot & tantas tentationes, quæ in paradiſo non fuerunt, dono perſeverantiæ munita atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus ſuis vincatur hic mundus: hoc ſanctorum martyria docuerunt. Denique ille Adam & terrente nullo, & inſuper contra Dei terrentis imperium libero uſus arbitrio, non ſtetit in tanta fœlicitate, in tanta non peccandi facilitate. Iſti autem non dico terrente mundo, ſed ſæviente ne ſtarent, ſteterunt in fide, cùm videret ille bona præſentia quæ fuerat relicturus: iſti futura quæ accepturi fuerant non viderent. Vnde hoc, niſi donante illo à quo miſericordiam conſecuti ſunt ut fideles eſſent à quo acceperunt ſpiritum non timoris, quo perſequentibus cederent, ſed virtutis & charitatis & continentiæ, quo cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia ſuperarent? Illi ergo ſine peccato ullo data eſt, cùm qua conditus eſt, voluntas libera, & eam fecit ſervire peccato: horum verò cùm fuiſſet voluntas ſerva peccati, liberata eſt per illum, qui dixit: Si vos filius liberavit, tunc verè liberi eritis. Et accipiunt tantam per iſtam gratiam libertatem, ut quamvis quamdiu hic vivunt, pugnent contra concupiſcentias peccatorum, eiſque nonnulla ſurrepant, propter quæ dicant quotidie: Dimitte nobis debita noſtra: non tamen ultrà ſerviant peccato quod eſt ad mortem, de quo dicit Joannes Apoſtolus: Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. De quo peccato quoniam non expreſſum eſt, poſſunt multa & diverſa ſentiri: ego autem dico id eſſe peccatum, fidem quæ per delectionem operatur, deſerere uſque ad mortem.

Huic

Huic peccato ultrà non serviunt, non prima conditione sicut ille liberi, sed per secundum Adam Dei gratia liberati, & ista liberatione habentes liberũ arbitrium quo serviant Deo, non quo captiventur à diabolo. Liberati enim à peccato servi facti sunt justitiæ, in qua stabunt usque in finem, donante sibi illo perseverantiam, qui eos præscivit & prædestinavit, & secundùm propositum vocavit & justificavit & glorificavit: quoniam illa quæ his promisit, etiam futura jam fecit, cui promittenti credidit Abraham, & deputatum est illi ad justitiam. Dedit enim gloriam Deo plenissimè credens, sicut scriptum est, quia quæ promisit, potens est & facere. Ipse ergo illos bonos facit, ut bona faciant. Neque enim propterea eos promisit Abrahæ, quia præscivit à seipsis bonos futuros. Nam si ita est, non suum, sed eorum est quod promisit. Non autem sic credidit Abraham: sed, non est infirmatus in fide, dans gloriam Deo & plenissimè credens, quia quæ promisit Deus, potens est & facere. Non ait, que præscivit potens est promittere: aut quæ prædixit potens est ostendere: aut quæ promisit potens est præscire: sed, quæ promisit potens est facere. Ipse ergo eos facit perseverare in bono qui facit bonos. *Qui autem cadunt & pereunt, in prædestinatorum numero non fuerunt. Quamvis ergo de omnibus regeneratis & piè viventibus loqueretur Apostolus, dicens: Tu quis es qui judicas servum alienum: suo Domino stat aut cadit: continuò tamen respexit ad prædestinatos, & ait: Stabit autem; & ne hoc sibi arrogarent. Potens est enim Deus, inquit, statuere eum. Ipse itaque dat perseverantiam, qui statuere potens est eos qui stant, ut perseverantissimè stent, vel restituere qui ceciderint,*

derint, Dominus enim erigit elisos. Vt ergo non acciperet hoc donum Dei, id est, in bono perseverantiam primus homo, sed preseverare vel non perseverare, in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, et nihil illi ex seipsa concupiscientialiter resistebat, ut dignè tantæ bonitati & bene vivendi facilitati, perseverandi committeretur arbitrium: Deo quidem præsciente quid esset facturus injustè, præsciente tamen non ad hoc cogente, sed simul sciente quid de illo ipse faceret justè. Nunc verò posteà quàm est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas. Placuit enim Deo quò maximè humanæ superbiam præsumptionis extingueret, ut non glorietur omnis caro coram ipso, id est, omnis homo. Vnde autem non glorietur caro coram ipso, nisi de meritis suis? quæ quidem potuit habere, sed perdidit; & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc est, per liberum arbitrium, propter quod non restat liberandis, nisi gratia liberantis. Ita ergo non gloriatur omnis caro coram ipso. Non enim gloriantur injusti, quia non habent unde; nec justi, quia ex ipso habent unde, nec habent gloriam suam nisi ipsum, cui dicunt; Gloria mea & exaltans caput meum. Ac per hoc ad omnem hominem pertinet quod scriptum est; Vt non glorietur omnis caro coram ipso. Ad justos autem illud, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Hoc etiam Apostolus apertissimè ostendit, qui cùm dixisset, ut non glorietur omnis caro coram ipso; ne putarent sancti sine gloria se remansisse, mox addidit; Ex ipso autem vos estis in Iesu Christo, qui factus est vobis sapientia à Deo & justitia & sanctificatio & redemptio, ut quemadmodum

dum scriptum est ; Qui gloriatur, in Domino glorietur? Hinc est quòd in hoc loco miseriarum, ubi tentatio est vita humana super terram, virtus in infirmitate perficitur: quæ virtus, nisi ut qui gloriatur, in Domino glorietur? ac per hoc nec de ipsa perseverantia boni voluit Deus sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari: qui eis non solùm dat adjutorium quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare si velint: sed in eis etiam operatur & velle, ut quoniam non perseverabunt, nisi & possint & velint, perseverandi eis possibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippe Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic volunt, ideo sic velint, quia Deus operatur ut velint, nam si in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua; ut in adjutorio Dei sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent: inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inseparabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. Ita factum est, ut voluntas hominis invalida & imbecilla, in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei, cùm & voluntas primi hominis fortis & sana in bono ampliore non perseveraverit, habens virtutem liberi arbitrii, quamvis non defuturo adjutorio Dei, sine quo non posset perseve-

rare ſi vellet, non tamen tali quo in illo Deus operaretur ut vellet. Fortiſſimo quippe dimiſit atque permiſit facere quod vellet: infirmis ſervavit, ut ipſo donante invictiſſimè quod bonum eſt vellent, ut hoc deſerere invictiſſimè nollent. Dicente ergo Chriſto, Rogavi pro te ne deficiat fides tua: intelligamus ei dictum, qui ædificatur ſuper petram. Atque ita homo Dei non ſolùm quia miſericordiam conſecutus eſt ut fidelis eſſet, verumetiam quia fides ipſa non deficit, qui gloriatur, in Domino glorietur.



CAP. VII.

Declaratur propoſiti capitis Senſus.

PRior illa hujus capitis ſententia cum fine alterius connectitur, unde mallem ut ea illius clauſula, quàm hujus initium eſſet. Itaque ab adjutoriis incipiendum quæ propria materies eſt. Duplex igitur adjutorij genus quod antè induxerat, pro ratione duplicis ſtatus hominis integri & lapſi exactiſſime diſtinguit & format, ſuamque utrique vim & faciem reddit. Ait primum, quod Philoſophi ſolent, dividenda ac diſtinguenda eſſe: *ipſa*, inquit, *adjutoria diſtinguenda ſunt* ac genus unum proponit, ut doctrinæ ordinem ſequatur, qui à notioribus, qualia ſolent

ſolent eſſe communia, ad minus nota, cujuſmodi ſunt particularia procedat. *Aliud eſt adjutorium ſine quo aliquid non fit : & aliud eſt adjutorium quo aliquid fit.* Affert exempla : primi quidem *cibum ſine quo non poſſumus vivere*, nec tamen eo continuo fit, ut vivamus: nam ſi nolimus cibum ſumere, morimur : ille autem non facit ut velimus: ſed præſto eſt tantum ut cum velimus, ſumamus, eoque ſumpto vivamus ; nam ſine eo vivere certe non poſſumus. *Sine alimentis inquit, non poſſumus vivere, nec tamen cum adfuerint alimenta eis fit, ut vivat qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum eſt, ſine quo non fit, non quo fit ut vivamus.* Exemplum ſecundi affert *Beatitudinem* quam cum à Deo accipit homo, fit continuo beatus, nec eâ acceptâ beatus eſſe, non poterit : nam beatitudine fit beatus, itaque *ſine* ea beatus eſſe non poteſt, ſed eâ ipſa cum adeſt, fit beatus.

At vero, inquit, Beatitudo quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus. Adjutorium enim eſt non ſolum ſine quo non fit, verumetiam quo fit propter quod datur ; Qua propter hoc adjutorium & quo fit eſt, & ſine quo non fit : quia ſi data fuerit homini Beatitudo continuo fit beatus, et ſi data nunquam fuerit, nunquam erit. Tum aliud exemplum reſpicit & quo à beatitudine differat, oſtendit. *Alimenta vero non conſequenter faciunt ut homo vivat, ſed tamen ſine illis non poteſt vivere* : hiſce duobus exemplis duplicis adjutorij quod propoſuerat, natura declaratur ; nam primum alimentorum declarat naturam adjutorij *ſine quo*, ſecundum beatitudinis adjutorij *quo*: nam ſine

alimentis non vivimus. Beatitudine sumus beati, datis alimentis non ideo fit homo vivus: data Beatitudine fit homo beatus. Explicatis adjutorijs in genere, descendit ad species Augustinus: nam hoc ipsum volebat agere accommodátque rationem *primi* eo exemplo alimentorum declarati, Adjutorio gratiæ status integri in quo Adamus est conditus. Rationem vero *secundi* exemplo beatitudinis illustrati, Adjutorio gratiæ status ruinæ in quem homo cecidit, & ex quo surgendum erat, accommodat: vocat autem utrumque adjutorium perseverantiæ ob eas causas quas suo loco afferemus: sed cum perseverantia dicat seriem gratiarum singularum cum ultima gratia conjunctarum, nihil refert, quo nomine utatur modo de adjutorij utriusque status ea gratia contentis nos doceat. Accedens igitur ad explicanda hæc duo adjutoria gratiæ ad perseverandum data, in utroque statu integritatis & ruinæ, ait primo homini in primo statu datum esse adjutorium *sine quo* simile *cibo*: *non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset.* Adjungit vero illud: *Per liberum arbitrium*, quia usus illius adjutorij ex eo pendebat: nam sicuti cibus ad vitam homini dandam pendet ab homine volente sumere & vivere: quia tantum dat posse: ita illud gratiæ adjutorium non conferebat perseverantiam nisi volenti perseverare, unde homo cum eo poterat si vellet, sine eo non poterat etsi vellet, perseverare, quemadmodum potest quis cibo uti ad vivendum & non uti ad moriendum, nam cum eo vivere potest, sine eo non potest.

Deinde

Deinde docet; adjutorium perseverantiæ datum in statu ruinæ hominibus prædestinatis esse Adjutorium *quo* simile *beatitudini*: nam eo dato homo perseverans fit: nec enim cum eo solùm potest perseverare, sed de facto etiam perseverat. *Nunc vero*, inquit, *Sanctis in regnum Dei prædestinatis non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum ut sine illo dono perseverantes esse non possent, verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.* Adducit autem duos locos Evangelii ad utriusque naturam adjutorii explicandam accommodatos: *Non solum enim inquit, dixit: sine me nihil potestis facere, verumetiam dixit; non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Et postquã id amplificat aliis in cõfirmationẽ infallibilis perseverantiæ adductis locis, rationẽ quærit hujusce differentiæ auxiliorũ, nẽpe causã cur tam forte ac vehemẽs adjutoriũ detur hominibus in statu ruinæ, ut sit *quo* omnino perseveret? cum tam infirmũ et debile datũ fuerit Adamo in statu integritatis ut cum eo posset, & sine eo non posset, non tamẽ quo fieret ut perseveraret; adeo ut illud primũ voluntatẽ agat, & ducat; & perseverantem eam faciat: hoc voluntatem expectet, ut agat, & non eam perseverantem efficiat, sed tantùm potentem perseverare, ac proinde Adam integer minus quàm quivis post ejus lapsum gratiæ perseverantis prædestinatus accepit. Causam vero eam esse docet Augustinus, quam cap. 10. tradiderat differentiam naturæ in utroque statu. Nam in prima

mo natura erat inocens, integra, ſana incorrupta, minime vitiata, in ſuo flore ac robore, ſine libidine, ſine concupiſcentia, ſui potens, & in arce libertatis conſtituta. In ſecundo autem peccatrix, inclinata, ægrota, corrupta, vitiata, imminutis & infirmis viribus, obnoxia libidini, ſubjecta concupiſcentiæ, ſerva peccati, & ex illo faſtigio libertatis in ergaſtulum ſervitutis dejecta. Vnde neceſſaria eſſe majora gratiæ præſidia in ſecundo ſtatu quam in primo, ut natura peccatrix mundaretur, lapſa erigeretur, ægrota ſanaretur, corrupta reficeretur, vitiata curaretur, infirma roboraretur, ſerva liberaretur, & dejecta ſtatueretur: ſupplente omnino gratiâ quod naturæ defuiſſet. Nec enim poſſet hæc ſibi relicta cum ſolo adjutorio *ſine quo* undique labans & fatiſcens perſeverare. Ita acceptura erat à Deo per gratiã quod per peccatum amiſiſſet. Hoc verò perſeverantis adjutorij præſidium majorem libertatem vocat Auguſtinus, quòd eandem naturam à ſervitute peccati, & diaboli liberabat, ac liberatã in ſtatu libero ſuſtinebat. Auguſtinum audiamus. *Major quippe libertas eſt neceſſaria adverſus tot et tantas tentationes, quæ in paradiſo non fuerunt dono perſeverantiæ munita atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus ſuis vincatur hic mundus. Hoc ſanctorum martyria docuerunt.* Apparet quid Auguſtinus per libertatem intellexerit; id eſt, vim quandam arbitrji fortem et conſtantem ad ſuperandas tentationes, tum intrinſecus ex concupiſcentia et ignorantia ortas, tum extrinſecus ab hoſtibus ſidei, & virtutes admotas in quibus commemorandis.

Potiorem

Potiorem amorum rationem habuit, quòd ad concupiſcentiam, cujus majus eſt ad peccandum incitamentum, ſpectant. Deinde terrores adhibet, qui, cùm ad intellectum ſpectent, minus momenti ad peccandum habent: niſi fortè errores opiniones falſas bonorum dixit: quæ ad peccatum ſanè ducunt, & ſtimulant. Proponit autem Martyrum exemplum, ad quos dejiciendos omnes Machinæ ſunt admotæ, & quæ natura affert: & quæ vis infert: imò & arte aucta naturæ tentamenta, cùm & ad amandum illecebræ, & ad errandum fraudes ſint à tyrannis adhibitæ; ut in paradigma libertatis ij omnino adducendi eſſent, quorum animus omnibus modis oppugnatus, nullo tamen expugnari potuit. Ejus autem gratiæ exemplum voluit proponere, ut in illuſtri poſita monumento cum luceret clariùs, tum moveret fortiús: adeò ut cum Adami collata gratiâ longo illam poſt ſe intervallo relinqueret. Non quòd aliorum prædeſtinatorum Gratia potentior & fortior Adamicâ non eſſet, ſed quòd Gratia Martyrum cum omnibus colluctata hoſtibus vim magis ſuam exercuiſſet, ac manifeſtiùs Adamum redarguiſſet. Hinc eſt illa velut exprobatio. *Ille Adam, & terrente nullo, & inſuper contra Dei terrentis imperium, libero uſus arbitrio non ſtetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate: iſti autem non dico terrente mundo, ſed ſæviente nè ſtarent, ſteterunt in fide, cùm videret ille bona præſentia, quæ fuerat relicturus; illi futura, quæ accepturi fuerant non viderent.* Cauſam verò hujus diſcriminis ne quis ad voluntatis arbitrium referret, ſed ad Gratiæ benefi-

cium

cium addidit. *Unde hoc niſi donante illo, à quo miſericordiam conſecuti ſunt, ut fideles eſſent: à quo acceperunt ſpiritum, non timoris, quo perſequentibus cederent, ſed virtutis & charitatis, & continentiæ, quo cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia ſuperarent.*

Retinet exemplum & pergit. *Illi ergò ſine peccato ullo data eſt, cum qua conditus eſt, voluntas libera, ac eam fecit ſervire peccato: horum verò cùm fuiſſet voluntas ſerva peccati, liberata eſt per illum, qui dixit, ſi vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis: & accipiunt tantam per iſtam gratiam libertatem, ut, quamvis quandiu hìc vivunt pugnent contra concupiſcentias peccatorum, atque nonnulla ſurrepant, propter quæ dicant quotidie, Dimitte nobis debita noſtra, non tamen ultra ſerviant peccato, quod eſt ad mortem, de quo dicit Joannes Apoſtolus, eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis*: Jam nunc ad id, quod eſt commune omnibus prædeſtinatis regreditur, ne de ſolis martyribus loqui putaretur. Hæc enim & ſequentia pertinent ad omnes ſanctos, qui etſi non acriùs ſed minùs pugnent, pugnant tamen, cùm nemo ſit, quin *colluctetur adverſus carnem & ſanguinem, & cujus vita non ſit militia ſuper terram.* Omnium horum perſeverantiam ex Deo eſſe, & à gratia Chriſti eſſe: ab ea, inquam, quæ ſtatui Ruinæ aſſignata eſt, patet ex ſequentibus. *Huic peccato ultra non ſerviunt non primâ conditione ſicut illi liberi, ſed per ſecundum Adam Dei gratiâ liberati, & iſtâ liberatione habentes liberum arbitrium, quo ſerviant Deo; non quo captiventur à Diabolo.*

bolo. Qua datione, donante illo ſibi perſeverantiam, qui eos præſcivit & prædeſtinàvit. Hoc commune Martyribus & Confeſſoribus eſt: unde addit: *Quoniam illa quæ his promiſit, etiam futura jam fecit; cui promittenti credidit Abraham, & deputatum eſt illi ad juſtitiam: ipſe ergò illos bonos facit, ut bona faciant.* Inter eos autem Abraham & inprimis nominat. Id verò maximè obſervandum, quòd ità diſtinguit hæc duo genera Gratiarum, ut diverſa ſecundùm illa inducat genera meritorum: perinde ac qui cum primâ uti Angeli & Adamus innocens operaretur, merita ſua faceret, ac perſeverantiam ſibi poſſet tribuere, quòd ex libero arbitrio, cum concomitante tantùm gratiâ, operaretur: quâ ratione voluntas gratiam in poteſtate habens, eâ utebatur, & quia uti volebat, applicabat ad operandum; atque adeò voluntas erat author præcipua operis boni; gratia verò adjutorium, *ſine quo non*, & veluti conditio, non cauſa. At verò qui gratiâ ſecundi generis juvabatur, quâ ageretur & moveretur ad operandum, cum voluntati ſubjecta non eſſet, nec ejus exſpectaret conſenſum, ſed eliceret, non poterat ſibi merita tribuere, cum à Deo eſſet principium & ratio operandi, quæ erat gratia liberans, agénſque voluntatem, data ex decreto prædeſtinantis Dei. Ad quem authorem opus redibat. In hac tanta diverſitate illa ſimilitudo erat, quòd quemadmodum in primo ſtatu libertas arbitrij agens gratiam non tollebat gratiam; Ità in ſecundo gratiæ efficacia

movens voluntatem, libertatem non auferebat. Illam verò diverſam operandi formam, & quæ indè ſequitur, rationem efficiendi ſuum meritum ex arbitrio: ut hoc Deo totum tribueretur quod eſſet ex Gratia: reliquum caput continet & exponit: ut hinc pateat quantum interſit inter utrunq; adjutorium, ut qui cum primo operaretur, poſſet meritum tanquam proprium vendicare, ac ſibi tribuere, quòd gratia ſequeretur arbitrium; qui cum ſecundo, non poſſet, quòd arbitrium à Gratia duceretur. Id verò in Auguſtino monſtremus. *Non propterea eos promiſit Abrahæ, quia præſcivit à ſeipſis bonos futuros; nam ſi ità eſt, non ſuum, ſed eorum eſt quod promiſit. Non autem ſic credidit Abraham, ſed non eſt infirmatus in fide, dans gloriam Deo, & pleniſſimè credens, quia quæ promiſit Deus potens eſt & facere. Non aut quæ præſcivit potens eſt promittere, aut quæ prædixit potens eſt oſtendere, aut quæ promiſit potens eſt præſtare; ſed quæ promiſit potens eſt facere. Ipſe ergò eos facit in bono perſeverare qui fecit bonos.* Adhibito autem loco Pauli, *Domino ſuo ſtat aut cadit. Continuò*, inquit, *reſpexit ad prædeſtinatos, &* ait, *ſtabit autem; & nè hoc ſibi arrogarent, Potens eſt enim Deus ſtatuere eum. Ipſe itaque det perſeverantiam, qui ſtatuere potens eſt eos qui ſtant, ut perſeverantiſſimè ſtent vel reſtituere qui ceciderint. Dominus enim erigit eliſos.* Perſpicuè docet Auguſtinus perſeverantem gratiam Prædeſtinatorum ſive inchoatam, cùm convertuntur, ſive continuatam, cùm perſiſtunt; ſive reparatam, cùm pœnitent, & emendantur;

tur; sive completam, & ad finem perductam, in quâ moriuntur, esse donum dei, & opus ejus. Sed restat adhuc videre utrùm eodem modo esset Donum Dei, Gratia data Adamo integro, quâ possset perseverare. Negat Augustinus expressè. Sic enim prosequitur. *Vt ergò non acciperet hoc donum Dei, id est, Perseverantiam in bono primus homo, sed perseverare vel non perseverare in ejus relinqueretur arbitrio; tales vires habebat ejus voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat, ut dignè tantæ bonitati, & bene vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium.* Duo ait, Adamum non accepisse illud donum perseverantiæ; & ideo non accepisse, quia acceperat voluntatem sanam & idoneam ad habendam perseverantiam utendo gratiâ, cum qua posset perseverare; id est, apprehendendo adjutorium *sine quo non*, quod satìs erat ei voluntati ad operandum: alterum, eam Perseverantiam, si daretur in Adamo, non fore donum Dei, sed fructum arbitrij tradidit, çum dixit, *Perseverandi arbitrium*, & antea, *negavit accepisse donum*: idcirco, quia perseverare, & non-perseverare in ejus relinquebatur arbitrio. Unde manifestè constat, Perseverantiam illam si *A*damus haberet, ejus arbitrio tribuendam, quòd illud adjutorium *Sine quo non* movebat, nec trahebat arbitrium: sed ab eo tantùm apprehendebatur, & in usum trahebatur, atque adeò non dabat *vēlle* actu, sed *posse velle.*

Pergamus ire ad effectum, qui indè ſequebatur, nempe non eſſe locum gloriandi Prædeſtinat• Perſeveranti, quòd ex Dei dono perſeverat: fore verò locum gloriandi Adamo integro, ſi perſeveràſſet. Utrumque habet Auguſtinus. *Nunc verò poſtea quam eſt illa magna peccati merito miſſa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remanſit infirmitas. Placuit enim Deo, quo maximè humanæ ſuperbiam præſumptionis extingueret, ut non glorietur omnis caro coram ipſo: id eſt, omnis homo.* Jam liquet, qui ex dono Dei operatur, eum gloriari non poſſe; poſſe verò eum, qui ex libero, utì *A*damus, arbitrio operetur; conſtabit ex adjunctis. *Unde autem non glorietur caro coram ipſo, niſi de meritis ſuis.* *A*pparet, qui habet merita ſua, eum gloriari poſſe de iis. Videamus quæ ſint iſta merita, & quis ea de ſuo habere poſſit. *Quæ quidem potuit habere, ſed perdidit, & per hoc habere potuit per hoc perdidit, hoc eſt per liberum arbitrium.* Quid manifeſtius? *A*damus hic eſt, habere potuit meritum proprium per arbitrium, ac uti per arbitrium peccando, meritum amiſit, faciendo ſuum peccatum; ità per arbitrium benè operando mereretur faciendo meritum ſuum. Nam quod arbitrio Autore fit, id ad arbitrium refertur. Erat autem in Adamo, oblatâ ſibi gratiâ *ſine quâ* poteſtas arbitrij inviolata & integra ad uſum vel non uſum ejus gratiæ; unde admittens & applicans merebatur, rejiciens & excludens peccabat: atque quemadmodum erat author uſûs, & non uſûs; ità erat meriti & demeriti author.

Verſat

Verſat idem argumentum Chriſtianæ humilitatis Auguſtinus, ac omnem tollit homini lapſo materiam gloriandi. *Propter quod non reſtat liberandis niſi gratia liberantis. Ità ergò non gloriatur omnis caro coram ipſo: non enim gloriantur injuſti, quia non habent unde: nec juſti, quia ex ipſo habent unde: nec habent gloriam ſuam, niſi ipſum, cui dicunt, gloria mea & exaltans caput meum.* Cúmque hoc inculcâſſet, rurſum rediit ad propoſitum. Ac per hoc, nec de ipſa perſeverantia boni voluit Deus ſanctos ſuos in viribus ſuis, ſed in ipſo gloriari. Vires ſuas appellat, cum quis operetur inſtar Adami cum Adjutorio *ſine quo* pro arbitrio ſuo agente *quo*: poſſit enim quis interrogare, cur illud eſſet neceſſarium, cùm ſatìs eſſe videretur aliud primum ſine quo, in arbitrij poteſtate relictum: nam ſi cum illo poterat voluntas, ſatìs erat ut cum eo vellet: nam eo certè, dum non peccavit, benè voluit Adamus; imò & cum eo benè angeli boni voluerunt & meruerũt. Quare non eſſe opus alio Adjutorio, *quo fieret*, ut vellet fortiùs, & potentiùs, quàm illud primum *ſine quo*. Hanc igitur prævidens quæſtionem reſpondet: * Nàm ſi in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam, perfici virtutem oportebat, ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in Adjutorio Dei ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent inter tot & tantas tentationes infirmitate ſuâ voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent,

quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ità vellent infirmitate voluntatis ut possent. Ex necessitate causam astruxit remedij. *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ ut divina Gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur, & ideo quanvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. Ita factum est, ut voluntas hominis invalida & imbecilla in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei, cum & voluntas primi hominis fortis & sana in bono ampliore non perseveraverit habens virtutem liberi arbitrij, quamvis non defuturo adjutorio Dei, sine quo non posset perseverare si vellet, non tamen tali, quod in illo operaretur ut vellet.* Conturbem hos fontes si explicare velim. Tam hi nitidè fluunt, ut lucem involvant, & radios corriventur. Muniit undique Augustinus viam, & aditus obstruxit, ne quá liquidis fontibus Apri. irreperent. Semper hoc Augustino capitale visum: observare differentias illas duorum statuum, quas cum alibi sanè tum his tribus capitibus proponit, quòd ijs perspectis constaret quanta esset in primo sanitas, quanta in secundo infirmitas: quam valens & fortis in primo natura, quam in secundo debilis, & imbecilla; quam liberum in primo à servitute carnis & captivitate peccati arbitrium, quàm in secundo concupiscentiæ carnis obnoxium, & dominanti in carne peccatum addictum; atque adeo quanta diversitas futura esset Adjutoriorum, quanta differentia gratiarum: ut multo major esset naturæ in secundo statu pro sua necessitate ac mise-

miſeria quàm in primo pro ſua abundantia & fortitudine Gratia tribuenda. *Fortiſſimo quippe* ait *dimiſit, atque permiſit, ut faceret quod vellet, infirmis ſervavit, ut ipſo donante invictiſſimè quod bonum eſt vellent.* Concludit Auguſtinus aptiſſimè. *Dicente ergo Chriſto: rogavi pro te, nè deſinat Fides tua, intelligamus ei dictum qui ædificatur ſupra Petram. Atque ita homo Dei non ſolum, quia miſericordiam conſecutus eſt ut fidelis eſſet: verum etiam quia Fides ipſa non deficit, qui gloriatur in Domino glorietur.*

His verbis quibus caput hoc clauditur, edocemur etiam primam vocationem fieri à Deo per Adjutorium *Quo*: quemadmodum ultimam in vocatione perſeverantiam: ac omne in Prædeſtinatis Adjutorium eſſe omninò Adjutorium *Quo* datum ex propoſito prædeſtinantis Dei. Quæ doctrina propria & perpetua Auguſtini eſt, ab eodem fonte Chriſtianæ humilitatis profecta: cujus maximè aſſertor, & cultor, uti & Gratiæ, cum Apoſtolo eſt Auguſtinus.

CAP.



CAP. VIII.

Eadem de Duplici Adjutorio Sine Quo *&* Quo *illustribus duobus, altero ex libro de Dono perseverantiæ, altero ex libro de Prædestinatione Sanctorum locis evidenter doctrina probatur.*

ETsi Augustini sententia hactenus tradita satis per se ipsa splendeat, nec majori luce indigeat; tamen operæ pretium fuerit aliis eam adductis & collatis testimoniis illustrare, ut appareat quanta sit ejus lux, & quomodo sibi Augustinus ubique respondeat, & quàm in ea tradenda perspicuus, in confirmanda assiduus, in retinenda constans fuerit. *A* nobilissimis locis incipiam, in quibus Cygneâ jam ob mortis viciniam voce *A*ugustinus suavissima Gratiæ canit oracula. Et quanquam pleraque in hujusmodi libris rem continentia inveniantur testimonia nolo ea omnia, nec possum vocare : necesse quippe foret totum mihi librum respondere. Duo quæ clarissima sunt invito ac repræsento. Igitur libro de Dono Perseverantiæ, Cap. 7. postquam præcedenti cap. donari à Deo per-

perſeverantiam affirmarat: ac id ex Oratione Dominica ſua & Cypriani ſententia confirmarat: ait, *Si ergo alia documenta non eſſent, hæc Dominica oratio nobis, ad cauſam Gratiæ quam defendimus ſola ſufficeret: quia nihil nobis reliquit in quo tanquam in noſtro gloriemur. Si quidem ut non diſcedamus à Deo, non oſtendit dandum eſſe niſi à Deo cum poſcendum oſtendit à Deo. Qui enim non infertur in tentationem non diſcedit à Deo. Non hoc eſt omnino in viribus liberi arbitrij quales nunc ſunt, fuerat in homine antequam caderet.* Ecce jam diſtinguit inter Gratiam utriuſque ſtatus, dum ait majores in primo vires fuiſſe ad perſeverandum cum poſſet ſi vellet oblatâ gratiâ perſeverare: non enim loquitur de libero arbitrio gratiâ deſtituto, ſed adjutorio Gratiæ *Sine quo* non adjuto: quas tamen appellat vires liberi arbitrij, quod pro libito eo *A*djutorio utebatur. *A*c ne quis exciperet parvam eſſe ad perſeverandum eam arbitrij cum illo *A*djutorio poteſtatem, idque ex caſu conjiceret occurrit pergens. Quæ tamén libértas voluntatis in illius primæ conditionis præſtantia *quantum valuerit, apparuit in angelis, qui Diabolo cum ſuis cadente in veritate ſteterunt, & ad ſecuritatem perpetuam non cadendi in qua nunc eos eſſe certiſſimè ſcimus pervenire meruerunt.* Patet hinc ejuſdem rationis fuiſſe *A*djutorium *A*dami integri & *A*ngeleorum, id eſt, *ſine quo.* Nunc docet *A*uguſtinus diuerſæ omnino fuiſſe *A*djutorium lapſi. *Poſt caſum autem hominis non niſi ad Gratiam ſuam Deus voluit pertinere ut homo accedat ad eum, neque*

niſi ad Gratiam ſuám pertinere ut homo non recedat ab eo. Obſerva illud *non niſi* perinde eſt, ac quod Donum Dei eſt, arbitrio tribuendum non ſit humano : ac quemadmodum operante homine cum Gratia non ducente arbitrium, ſed ducta ab arbitrio dicebatur operatio liberi arbitrij, cum tamen illud Gratia juvaret, ita operante Gratiæ in homine ac movente ut vellet cooperante libero arbitrio, Gratiæ Dei operatio tribuebatur.

Proſequitur docendo Auguſtinus Adjutorium iſtud *Quo* à Chriſto eſſe. *Hanc gratiam poſuit in illo in quo ſortem conſecuti ſumus prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus, qui univerſa operatur nè diſcedamus. Propter quod ei per prophetam dictum eſt. Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper Filium hominis quem confirmaſti tibi, & non diſcedimus à te. Iſte certè non eſt Adam primus in quo diſceſſimus ab eo: ſed Adam noviſſimus ſuper quem ſit manus ejus ut non diſcedamus ab eo. Chriſtus enim totus cum membris ſuis eſt propter Eccleſiam quæ eſt corpus ejus, plenitudo ejus. Cùm ergo ſit ſuper eum manus Dei: quo opere Dei fit ut ſimus in Chriſto permanentes cum Deo, non ſicut in Adam diſcedentes à Deo. Manus igitur Dei eſt iſta, non noſtra, ut non diſcedamus à Deo.* En Adjutorium *Quo*: nimirum *Quo fit opus.* Expreſſit dicens: *Quo opere Dei fit. At* nè quis dubitaret retulit ad ipſam Perſeverantiam de qua ſupra. *Fit ut ſimus perſeverantes cum Deo,* ut perſeverantiæ adjungeret Adjutorium *Quo* perſeveratur. Deinde confirmat noſtrum id non eſſe quemadmodum erat

noſtrum

noſtrum in primo ſtatu, quod in eo arbitrij noſtri erat uti pro libito & non uti Gratiâ: ſed Dei donantis perſeverantiam cooperante ad eam libero arbitrio voluntatis, *Manus igitur Dei eſt iſta, non noſtra.* Tandem concludit *Deus ergo convertit ad Fidem. Deus ergo donat Perſeverantiam uſque in finem.* Et quidem ſoleo dicere caput hoc ſeptimum de dono Perſeverantiæ eſſe compendium capitum Illorum trium libri de Corrept. & Grat. Uti duo libri de Prædeſt. Sanct. & Dono Perſever. reſponſum continent ad objecta libro illi de Corrept. & Grat. Cujus doctrinam à Maſſilienſibus exagitatam rogatu Proſperi & Hilarij Auguſtinus duobus hiſce libellis oblatis defendit. Nec dubito quin doctrina hujus capitis & proximorum reſpondeat querelis eorum, qui apud Hilarium hujuſmodi differentiam Gratiarum improbabant; quemadmodum ex ejuſdem Epiſtolæ particula apparet, quam idcircò volo ſubjicere. *Deinde moleſtè ferunt ita dividi Gratiam quæ vel tunc primo homini data eſt, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit Gratiam, non quâ fieret ut perſeveraret, ſed ſine qua per liberum arbitrium perſeverare non poſſet: nunc vero ſanctis in Regnum Dei per Gratiam prædeſtinatis non tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale ut eis, Perſeverantia ipſa donetur: non ſolum ut ſine iſto Dono Perſeverantes eſſe non poſſint,* verumetiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint. Cui ſanè particulæ, & proximis idem argumentum verſantibus & urgentibus ita ſatiſfacit hoc capite, & adjunctis Auguſtinus, ut propo-

I 2 ſitam

ſitam ſibi eam partem epiſtolæ habuiſſe reſponſurus omnino videatur. Nolo tamen hic eſſe longior, quod locum iſtum Litterarum Hilarij ſim uberius, & accuratius tractaturus.

Eſt etiam alter locus in libro de Prædeſtinatione Sanctorum qui rem continet: qui etſi minus diſtinctè differentias iſtas proponat, eas tamen & ſupponit, & involuit. Quem ſic afferre volo, ut non perpetuum caput, ſed ſelectas ejus partes & quaſi membra poponam. Igitur cap 15. *Eſt etiam præclariſſimum lumen Prædeſtinationis & Gratiæ ipſe ſalvator. Appareat itaque nobis in noſtro capite ipſe Fons gratiæ unde ſecundum unius cujuſque menſuram ſe per cuncta ejus membra diffundit. Ea gratia fit ab initio Fidei ſuæ homo quicunque Chriſtianus, quâ gratiâ homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus: de ipſo ſpiritu & hic renatus, de quo eſt ille natus: eodem ſpiritu fit in nobis remiſſio peccatorum, quo ſpiritu factum eſt, ut nullum haberet ille peccatum.* Satis in hujuſmodi exemplo elucet, quid velit Aguſtinus, nempe Gratiam ſecundi ſtatus poſt lapſum Adami eſſe omninò *Donum Dei*: & in nobis potenter operantem, ut ex ea ſit principium meriti: non ex arbitrio, uti in primo Adami Parentis ſtatu Itaque addit Auguſtinus: *Humana hic merita conticeſcant, quæ perierunt per Adam.* Illa ſanè, quæ ex libero & ſano arbitrio cum Adjutorio *ſine quo* & Adamus & Angeli habuerunt in eo ſtatu integritatis & inchoatæ beatitudinis: quæ ſupra ex Auguſtino adduximus, ac expendimus. *Nam tales vires*

habebat

habebat Adami voluntas quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat, ut dignè tantæ bonitati & bene vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium. Unde si staret ille libero arbitrio, eâ tantum gratiâ adjuto staret: sicut boni Angeli qui steterunt, *per liberum arbitrium steterunt. Fortissimo quippe dimisit Deus ut faceret quod vellet.* Velle autem ita erat in ejus potestate, ut summâ prolibito facilitate bonum acciperet eo adjutorio, & retineret. *Dederat nempe illi Deus bonam voluntatem, & adjutorium sine quo in eâ non posset permanere si vellet: ut autem vellet in ejus libero reliquit arbitrio. Quod arbitrium ita tum liberum erat ut bene velle posset & malè.* Hinc illa meriti conditio, quod hic *humanum* vocat. *Humana*, inquit, *merita conticescant*, quia cum à libero arbitrio Gratiam acceptante, ac trahente ad operandum descenderent ei referebantur, quod humanum cùm esset, merita humana reddebat. Faceret enim ille per liberum si perseveraret arbitrium, *sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt & ipsi.* Quare optimè respondent sibi hi loci tum exemplo Christi Incarnati quo etiam cap. illo 11. lib de Corrept. & grat. utitur Augustinus, tum ratione merendi ex libero arbitrio: cum adjutorio *sine quo*.

Jam vero quoad conditionem gratiæ secundi status per Christum datæ, non minus convenit, hujus cum superioribus capitis doctrina. *Regnet*, inquit, *quæ*

quæ regnat Dei Gratia per Jesum Christum Dominum Nostrum Cujusmodi autem ea sit, tradit hic quoad prædestinationem sine prævisione meritorum, & paulò post, cap. 16. quoad vocationem: non quancunque *vocationem, sed quâ vocatione fit credens.* Ecce adjutorium *quo Qua fit*, non modo potens credere, sed credens. *Usque adeo ut ipse Deus in nobis operetur & velle.* Atque ut obiter id animadvertam introductâ *Pelagij* perversâ de prædestinatione ex meritis liberi arbitrij sententiâ: qua dicebat; *Præsciebat Deus qui futuri erant sancti, & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium.* Docet nisi Gratia in nobis operante & movente, & faciente ut velimus, ac mereamur volendo, aliam rationem merendi esse humanam. Nam versans locum Pauli cap. 1. ad Ephesios, & opponens Pelagianis ait; *Cernitis autem procul dubio, cernitis, quanta manifestatione Apostolici eloquij defendatur hæc gratia contra quam merita extollantur humana.* En merita quæ Pelagiani inducebant, eodem vocabulo afficit quo illa *Adami* priora affecerat: nam ubi arbitrium Gratiæ dominabatur, quocunque mereretur modo, merita ad se trahebat & humana efficiebat. Nisi fortè Pelagiani isti, quòd Massilienses erant, gratiæ aliquod adjutorium immiscebant: quod cum tale non essat quale *Augustinus* ex Paulo volebat, meritum libero arbitrio, ceu Gratiam moderanti relinquebat. Unde liquet solum adjutorium *quo* efficere merita Dona Dei, atque adeo humana non esse. Hæc verò per *Adam* periisse: quoniam

niam ille modus merendi, cum ſolo adjutorio *ſine quo* proprius erat illius integri ſtatus, quo amiſſo eſſe deſiit. Sed de hac re latiùs poſteà dicemus.



CAP. IX.

Variis libri de natura & Gratia locis eadem veritas ſtabilitur.

MAgna pars libri de natura & gratia in hac doctrina verſatur. Cum enim ibi de naturæ viribus multa *Pelagius* jactaſſet, & Gratiam extenuando depreſſiſſet, ad eum confutandum Auguſtinus ſæpe commemorat differentiam naturæ in primo & ſecundo ſtatu, docens, *Pelagium* in eo errore verſari, ut crederet eaſdem vires eſſe naturæ poſt lapſum, atque ante ruinam; ac idcirco Gratiæ virtutem deprimere, cum quod huic dandum eſſet, illi Pelagius meritò tribuiſſet. Incipiamus ergo ab ea ſententia cap. 43. *Verum eſt quod ait* Pelagius, *quod Deus tam bonus quàm juſtus talem hominem fecerit, qui peccati malo carere ſufficeret; ſed ſi voluiſſet. Quis enim eum neſcit ſanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio atque ad juſtè vivendum poteſtate liberâ conſtitutum? Sed nunc de illo agitur quem ſemivivum latrones reliquerunt, &c.* Hîc novum

novum quiddam apparet: probari ab *A*uguſtino di-ctum Pelagij circa poteſtatem *A*dami ad perſeverandum in eo ſtatu ſi vellet. Unde videtur in eo ſenſu accepiſſe dictum Pelagij ut non excluderet illud genus *A*djutorij *ſine quo* ac ſub eâ poteſtate intellexiſſe cooperantem gratiam cum arbitrio volente agere; niſi enim hujuſmodi Adjutorium ſupponeret, non conſentiret Auguſtinus. Qui ſolum in eo diſſentit quod eandem poteſtatem lapſæ naturæ tribuebat, perinde ac majori auxilio non indigeret. Non excludi autem in ea ſententia Pelagij omne Adjutorium Gratiæ, apparet ex cap. 48. in quo urgens hæreſin Pelagij aliam ejus ſententiam expendit. Nempe *Quod non peccare noſtrum ſit, poſſe vero non peccare non noſtrum.* Et ait, *Si de integritate, & ſana hominis natura loqueretur, quam modo non habemus: nec ſic rectè diceret, quod non peccare noſtrum tantum modo ſit, quamvis peccare noſtrum eſſet: nam & ibi eſſet Adjutorium Dei & tanquam Lumen ſanis oculis, quo adjuti videant ſe præbere volentibus.* Inſignis locus ad utrunque, primo ad ponendum omnino ibi Adjutorium Gratiæ, & ad explicandum illud non aliud eſſe quàm *Adjutorium ſine quo.* Improbando enim modum loquendi Pelagij, docet admiſſo eo adjutorio non poſſe illum ſuſtineri. Deinde adhibendo exemplum lucis ad oculos ſanos *A*djutorium *ſine quo* exprimit, ita enim juvat ad videndum, ut expectet voluntatem videntis. Unde diſertè ait *ſe præbere volentibus.* Quod ipſum ſignum eſt *A*djutorij *ſine quo.* Eſt

enim

enim *lumen* ſimile *cibo* quo non continuo ſit, ut videamus ſed ſine eo videre non poſſumus. In quod quadrat illud cap. 11. de Corrept. & Grat. *Tale quippe erat Adjutorium, quod deſereret, cum vellet, & in quo permaneret ſi vellet, non quo fieret ut vellet.* Ecquis non videt, lumen ita adeſſe, ut ſi quis oculos claudat, non videat, ſi aperiat videat? Deinde opus eſt, ut ſani ſint oculi, nam niſi ſani ſint, Videre vel ablato lumine non poterit. Eſſe autem *A*djutorium, Sufficiens, pro illo integritatis ſtatu, atque adeo proprium ejus, non vero ſufficiens pro ſtatu ruinæ, docet ibidem Auguſtinus. Adhibito enim alio exemplo. Ait, *Habere nos aſſerit non peccandi poſſibilitatem, quam naturæ inſitam dicit. Sed de homine ſanis pedibus dici poteſt, velit, nolit, habet ambulandi poſſibilitatem. Confractis vero etſi velit, non habet. Vitiata eſt naturâ de qua loquitur.* Eandem incudem tundit: non negat poſſe non peccare naturæ valenti & integræ, quòd non deſit congruum *A*djutorium *ſine quo*. *S*emper enim hoc ſupponit; negat tamen eam poteſtatem lapſæ & vulneratæ naturæ, quæ majore Adjutorio eget, id eſt *quo* Cujus neceſſitatem cum per aliquot capita monſtraſſet, concludit. *Fateamur Gratiam neceſſariam clamemus: miſer ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus? Et reſpondetur nobis: Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Nondum declarat cujuſmodi Gratia ſit: ſed nè res dubia, obſcurave eſſet, adjungit. *Quando enim iſtis rectiſſimè dicitur: Quare ſine Adutorio Gratiæ Dei dicitis poſſe hominem eſſe ſine peccato. Non tum de illà Gratia*

K *quæſtio*

quæstio est, qua est homo conditus, sed de illa qua fit salvus per Jesum Christum Dominum nostrum: satis est hic locus ad rem conficiendam. Nam ex eo patet: tam infirmum esse illud adjutorium *sine quo* pro statu lapsæ naturæ, ut perinde esset illud tantummodo habere, ac non habere. Quod ostendit ratiocinatio Augustini. Tres ea partes habet: prima continet necessitatem Gratiæ: quæ est perspicua, secunda objectionem Catholicorum contra *Pelagianos*, quæ rem maximè continet: ac ejusmodi est. *Affirmatis posse naturam omnino non peccare sine Gratiæ Adjutorio.* Et quia negare poterant illi dicentes se non excludere Gratiam, imo ponere Adjutorium *sine quo* quemadmodum habuit natura integra & sana. Respondebant Catholici: illud non esse *Adjutorium Gratiæ* quale necessarium erat in statu ruinæ: satis illud quidem esse pro statu integritatis: pro statu ruinæ satis non esse. Itaque quod illud Adjutorium nullius usus erat, pro nullo habendũ esse. Itaque *istis* Pelagianis *ait, Augustinus, rectissimè dicitur sine Adjutorio Gratiæ Dei dicitis: Posse hominem esse sine peccato*: Acsi dicat, Cum inter rogamus, *Possitne homo in statu miseriæ esse sine peccato? non loquimur de illà Gratia in qua homo est conditus*: quæ tantum erat *Adjutorium sine quo.* Nam hoc nec est aptum, nec satis pro secundo statu ruinæ, sed loquimur de istâ aliâ Gratiâ *qua fit quæ est Gratia per Jesum Christum Dominum nostrum.* Hæc est enim *Adjutorium quo* omnino necessarium naturæ lapsæ, ac debilitatæ. Quod

dum

dum excluditis nullum relinquitis. Itaque perinde est solum illud *Adjutorium sine quo* proprium primi status integri tribuere, ac omne Adjutorium tollere, nam quod satis non est, illud pro nihilo habetur. Quare dum dicitis cum eo posse naturam sine peccato esse, dicitis.

Sine Adjutorio Gratiæ Dei posse non peccare naturam. Idem urget Cap. 59. aliâ sententiâ aptâ & congruenti. *Cur* inquit, *illic solam naturam defendere voluit?* Ecce Gratias agit, & solam naturam dicit, ubi erat Adjutorium *sine quo*, ut liqueat illud pro Adjutorio non haberi. Pergit. *Et quia homo ita creatus est, ut non peccare posset si peccare noluisset, asseruit; ac per hoc quod ita creatus eam possibilitatem ad Gratiam Dei pertinere definivit qua possibilitate si potuerit peccare non peccat & noluerit aliquid dicere de eo quod ipsa natura Gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum vel sanatur, quia vitiata est, vel quia sibi non sufficit adjuvatur?* Cavillationes *Pelagij* in eo esse poterant, ut diceret: Naturam sine peccato esse posse per liberum arbitrium, ac ut damnationem vitaret, subterfugium quærens responderet. Posse id quidem, sed non sine Gratiæ Adjutorio, eo nimirum quod habuit natura recte instituta, ac omninò integra, & sana. Hoc cavillandi genus aufert Augustinus, status, & Adjutoria distinguendo, ut quid cuique congrueret, demonstraret; & omnem fallendi ansam adimeret. Itaque & ille apud me, & ego apud illum concludo, sententiâ Cap. 43. *Quid tantum de naturæ possibi-*

sibilitate præsumitur? Vulnerata, sauciata, vexata, perdita est, vera confessione non falsâ defensione opus habet. Gratia ergo Dei, non qua instituatur, sed qua restituatur quæratur, quæ ab isto sola clamatur non esse necessaria cum tacetur.



CAP. IX.

Alij Augustini loci rem continentes ex Epist. 105. 106. 107. *afferuntur.*

SUnt præclara & perspicua in his tribus Augustini Epistolis testimonia quæ totidem oracula dixeris. Ex illis visum est catenam texere ordine commutato, virtute retenta: non enim opus est seriem linearum attendere; sed sensum inquirere, ac sententias sibi nexas undecunque advocare, & quasi voces consonas in harmoniam revocare. Epist. 106. *Adjutorium sine quo* primi status integri sic proponit. *Natura humana etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo se ipsam Creatore suo non adjuvante servaret.* Ecce necessitas Gratiæ, quam pro omni statu Augustinus exigit: sed ea *sine qua* non in illo statu: uti significant verba illa: *Nullo modo se ipsam Creatore suo*

ſuo non adjuvante ſervaret. Id manifeſtiùs tradit, & addit quod ad differentiam Adjutorij jam facit. *Cum igitur ſine Gratia Dei ſalutem non poſſet cuſtodire quam accepit, quomodo ſine Dei Gratia poteſt reparare quod perdidit?* Illud *ſine Gratia* Dei oſtendit *Adjutorium ſine quo.* Illud *Quomodo* ad naturam lapſam converſum monſtrat, quanto magis difficile eſt intelligere poſſe eam ſine illo Gratiæ Adjutorio liberari.

Sed objiciet quis: Auguſtinum hic de neceſſitate tantum Gratiæ *ſine qua non* agere, ac dum ait, utrique ſtatui eâ opus eſſe ſignificare utrique eſſe communem, atque adeo inter eas non diſtinguere: imò unam & eandem eſſe fateri. Verum facilè reſpondetur ibi de ea tantum Gratiâ loqui, quoniam adverſus eos diſputabat, qui omnino tollebant Gratiam, & naturam per ſe ſatis valentem affirmabant. Quæ fuit prima hæreſis. Pelagij. Ibi tamen ſatis oſtendiſſe majorem Gratiæ neceſſitatem in ſtatu ruinæ, quàm integritatis, dum ait, *Quomodo*, id eſt, ſi in primo non poterat cum erat integra: quomodo poſſet in ſecundo cum erat lapſâ? Ac id ego ex eo loco inducto dũtaxat mõſtrare volui. Sed ut objectio prorſus repellatur audiamus verba Auguſtini. Epiſt. 107. ubi loquens de Fidei vocatione ex propoſito ait: *Hoc opus eſt Gratiæ non naturæ. Opus eſt inquam Gratiæ, quam nobis attulit ſecundus Adam: non naturæ, quam totam perdidit in ſemetipſo primus Adam.* Brevis eſt locus, ſed totus fulmen. Viden'? ut opponat Gratiam Gratiæ? adeo ut Gratiam ſtatus

ruinæ, quæ est *Adjutorium Quo* vocet *Gratiam.* Gratiam verò status integri, id est, *Adjutorium sine quo* dicat *naturam?* Quo nullum majus documentum præberè Augustinus poterat differentiæ duarum Gratiarum: nam cum prima verè Gratia sit, & Augustinus simpliciter gratiam vocet: si tamen cum secunda comparetur tantò inferior est, ut *natura* appelletur ab Augustino, quam ubique Gratiæ opponit, ut jam non diversa, sed adversa esse videatur.

Reponamus tamen objectioni alium ex eadem epistola 106. locum æquè manifestum. Loquens enim de fide quæ Donum est Dei, opponit eam merito humano: cujusmodi fuit Adami in statu integritatis: *Non gratiam Dei, inquit, aliquid meriti præcedit humani: sed ipsa Gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici; comitante: non ducente; pedissequa, non præviâ. Voluptate.* Sane distinguit modum operandi utriusque Gratiæ & distingendo monstrat in effectu, quod in causa proximè docuerat. Nempe docuerat, *naturæ* instar esse Gratiam integritatis, nunc ostendit eam per modum naturæ operari, cum merita, quæ ex illa existunt dicit humana: cujus rei ea ratio est, quod non præeat, & ducat, sed ducatur, & sequatur voluntatem. Nec satis esse comitari, ne pedissequa non sit: perinde est enim non præcedere, ac ducerè, atque sequi ductum voluntatis: unde qui cum ea meretur humano modo meretur, quòd voluntas, quæ humanum quid est, præcedit trahendo Gratiam: ac primus motus sit voluntatis trahentis; atque ado aliquid meriti

riti præcedit humani, cum inchoetur operatio à voluntate.

Concinit illa ſententia Epiſt. 105. *Ita ſe fatentur* Pelagiani *ad habendam ſeu faciendam juſtitiam divinitùs adjuvari, ut ſui præcedat aliquid meriti, quaſi priores volentes dare ut retribuatur eis, ab illo de quo dictum eſt, Quis prior dedit illi & retribuetur ei? & ſuo putantes præire merito illud de quo audiunt, aut potius audire volunt, Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Eâ vero docemur errare Pelagianos in eo, quod naturæ lapſæ illud tribuebant, quod erat proprium integræ & valentis: ac ex eorum opinione ſequi præcedi, ac præveniri à merito humano, Gratiam Divinam. Quod duobus modis dicere poterant vel excluſo omni prorſus Adjutorio Gratiæ, vel admiſſo tantum *Adjutorio ſine quo.* Quare Epiſt. 106. adducto loco Moyſi & Pauli qui eo utitur: ait, *Quid nos hic docuit? niſi ex illa maſſa primi hominis, cui merito mors debetur, non ad merita hominum, ſed ad Dei miſericordiam pertinere quòd quiſque liberatur.* Ita loquitur, perinde ac merita humana ſint, quæ viribus voluntatis fiunt, & quæ ſolo illo Adjutorio *ſine quo* fiunt. Et quidem Diverſitas meriti arguit differentiam Gratiæ: cum ſtatus integri ad juſtitiam: lapſi meritum ad miſericordiam pertineret, quod illud ab arbitrio erat, iſtud à Dono Dei procedebat: Nam *Qui* ſuis inquit Epiſt. 105. *meritis præmia tanquam debita expectant, nec ipſa merita Dei Gratiæ tribuunt: ſed viribus propriæ voluntatis.* Annon hi eadem ratione merebant quo meruit in primo ſtatu Adamus? ut

utro-

accommodet assensum. Quomodo ergo non Gratiæ Dei est non solum credendi voluntas ab initio, verumetiam perseverandi usque in finem, cum finis ipse vitæ hujus non in hominis sed in Dei sit potestate? Facit ad hanc doctrinam quod semper Augustinus cum tradit hujusmodi virtutem *Adjutorij quo* in statu ruinæ, confirmat arbitrij libertatem removendo objectionem, quæ fieri poterat contra liberam voluntatis facultatem: quasi timendum esset, nè quis putaret eripi ejusmodi Adjutorio libertatem. Cui sanè timori locus non erat in illo statu integritatis, cum ibi partes præcipuæ arbitrij essent. Igitur epist. 107. *Credunt in istum Deum liberâ voluntate. Et non est volentis neque currentis sed miserentis Dei, non quia velle non debemus & currere, sed quia ipse in nobis operatur & velle.* Rursum *Scimus eos qui corde proprio credunt in Dominum, sua id facere voluntate ac libero arbitrio*: necnon epist. 106. *Neque enim & hoc ita fit de nobis tanquam nihil facientibus nobis.* Hoc ipsum inculcat Epist. 106. primum enim impugnat Pelagium dicentem: Non posse liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio. Et victoriam nostram non ex Dei Adjutorio esse, sed ex libero arbitrio. Deinde respondet. *Fateatur esse liberum arbitrium etiamsi Divino indiget Adjutorio, id est, quo:* Nam id negabant Pelagiani putantes auferre libertatem. *Fateatur quando contra tentationes concupiscentiásque illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed ex Adjutorio Dei nostram provenire victoriam.* Eadem

ratione de meritis loquitur; Nam Epist 105. *Nullane sunt igitur merita justorum? Sunt sanè, quia justi sunt; sed ut justi fierent, merita non fuerunt: justi enim facti sunt cum justificati sunt, sed, sicut dicit Apostolus, Justificati gratis per gratiam ipsius.* Et infrà. *Quod est ergo meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat Gratiam cum omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat nisi Gratia? Et cùm Deus coronat merita nostra nihil aliud coronet, quam munera sua?* Vide quà longè distent hujusmodi merita à meritis Adami, quæ ex arbitrii libertate cum essent, humana appellata, atque adeo alterius rationis. Ex quo patet Causarum unde diversitas provenit, id est Auxiliorum, differentia. Illud præclarè Augustinus. *Non frustrà Deo cantatur, Et misericordia ejus præveniet me, Et misericordia ejus subsequetur me. Unde & ipsa vita æterna, quæ utique sine fine habebitur, & ideo meritis præcedentibus redditur: tamen quia eadem merita, quibus redditur non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa Gratia nuncupatur; non ob aliud, nisi quia gratis datur, nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt et ipsa merita quibus datur. Ratio autem* propter quam Augustinus merita justorum ad misericordiam revocat, illa est; quoniam, cum sint Dona Dei, humana non sunt; atque adeo ad justitiam spectare non possunt: cujusmodi sunt merita primi status, quæ quod erant ab arbitrio, humana, & ex justitia erant: Quod ibi docet Augustinus: *Ne justitia de humano se extollat merito. Quid enim*

enim habes quod non accepisti? Tibi enim tanquam debita redderetur, si ex te tibi esset justitia cui debetur. Idem tradit, & quidem fusius Epist. 106. & sæpe aliàs, sed nolo extra Epistolarum terminos evagari. Superest hujus doctrinæ proximè de libertate ac merito traditæ illustris Augustini sententia. Epist. 107. *Ita fit, ut neque fideles fiant nisi libero arbitrio, & tamen illius gratià fideles fiant, qui eorum à potestate tenebrarum liberavit arbitrium. Sic & Dei Gratia non negatur, sed sine ullis humanis præcedentibus meritis vera monstratur, & liberum ita defenditur, ut humilitate solidetur non elatione solidetur arbitrium; & qui gloriatur non in homine, vel quolibet alio, vel se ipso, sed in Domino glorietur.* Hic est scopus ad quem semper collimat Augustinus: ut omnem superbiæ ansá præcidat, ac nihil gloriæ Divinæ homo decerpat. Propositum quippe est ei loco isto Pauli, ora de viribus se liberi sui arbitrij jactantibus, obturare.

Jam verò differentias statuum & libertatis cujusque discrimina perspicuè Augustinus tanquam radices diversitatis Auxiliorum proponit. Epist. 106. improbat errorem *Pelagij* hoc modo. *Aliquandò ita paribus momentis potestatem voluntatis æqua lance perpendit, ut aliquantum etiam ad non peccandum valere definiat; quod si ita est, nullus locus Adjutorio Gratiæ reservatur sine qua nos dicimus: Ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere. Aliquando autem quotidiano Gratiæ Dei muniri nos confitetur auxilio, quanvis habeamus ad non peccandum forte ac firmum liberum arbitrium: quod utique invalidum &*

infirmum debuit confiteri, donec sanentur omnes languores animæ nostræ. Ita extollit naturam Pelagius ut dejiciat Gratiam. Ita Augustinus contra, ut statuat Gratiam, in suum locum arbitrium reponit. Et paulo post relato ex erroribus Pelagij dicentis naturam non egere Gratia nisi ad faciliùs operandum. *Ait: Quanquam nec illa possibilitas liberi arbitrij tam in bonum quàm in malum, æquâ lance perpensione huic facilitati locum relinquit, quam saltem videtur confessus esse dicendo facilius possunt implere per Gratiam. Si enim per Gratiam lex faciliùs impletur: facillimè autem sine gratia fit malum profectò ista possibilitas non æqua lance perpenditur.* Hæc ego adduxi, ut ostenderem semper Augustinum egisse, ut minus valere naturam in statu ruinæ, quàm integritatis, quomodo se cunque opiniones haberent, perspicuè appareret.

Vrgeamus è propinquo rem: ac omnibus indagatis vestigiis *A*djutoria distinguamus. Id agit Augustinus Epist. 107. ubi cum Vitali in Pelagianos inclinante disputans, ait venire se ad quæstionem. *Vtrum præcedat hæc gratia, an subsequatur voluntatem: hoc est ut planiùs id eloquar, utrum ideo nobis detur, quia volumus, an per ipsam Deus efficiat ut velimus.* In quá quæstione proponenda manifestè tradit Augustinus utriusque Auxilij pro utroque statu differentiam: nam ex præcedentibus constat *Adjutorium sine quo* subsequi voluntatem: & præstò nobis esse quia volumuus, sicuti cibus, & lux. At vero *Adjutorium Quo* facere ut velimus: nec expectare voluntatem sed agere. Quid? Quòd assumit & proponit

proponit exemplum lucis quo ſolet uti ad declarandum *Adjutorium ſine quo* : ac illud exponens paulò poſt applicat ad ſtatum integritatis ; Cujus eſſe proprium affirmat. Quo nihil dici potuit manifeſtius. Rem oſtendo. Adducta Pelagij de naturæ viribus ſibi ſufficientis ſententiâ. Nè *exiſtimemur de illo temerè ſuſpicari, & fortaſſe quis dicat ſic eum ſentire fortè ac firmum ad non peccandum liberum arbitrium, quanvis ſine Dei gratia id efficere atque adimplere non poſſit, ſicut ſanos oculos firmos dicimus ad videndum, quod tamen nullo modo facere poſſunt, ſi deſit lucis auxilium.* Patet lucem ſignificare *Adjutorium ſine quo* : uti apparet ex ſuperiori capite citato loco *de natura & Grat.* c. 48. & infra patebit ex teſtimonio lib. 2. de Peccat. mer & remiſ. c. 5. & ex his verbis ſatis conſtat, *ſine gratia. Si deſit lucis Auxilium.* Hoc monſtrato illud ſupereſt oſtendere, proprium eſſe hujuſmodi auxilium Paradigmate lucis indicatum Integræ naturæ in ſtatu Paradiſi beato. Id ago. Ubi Auguſtinus Pelagij impiam hæreſin confutavit, omninò excludentis auxilium Gratiæ, ait: *Natura enim humana etiam ſi in illa integritate in qua condita eſt, permaneret, nullo modo ſe ipſam Creatore ſuo non adjuvante ſervaret. Cum igitur ſine Dei gratia ſalutem non poſſet cuſtodire quam accepit, &c.* Quod neceſſariò accipiendum eſt de Gratia *ſine qua* : non ſolum ex modo loquendi *non adjuvante* : *Sine Dei gratia* ; ſed ex ipſa connexione locorum : nam in proximo Auguſtinus inducit modum quo ſubterfugere poſſet Pelagius affirmans vires naturæ ſubintellecto auxilio

Gratiæ; quod fanè effe non poterat nifi *Auxilium*, fine quo, luci fimile, nam certè *Adjutorium quo*: Pelagius nullatenus admitteret. Igitur quod auxilium Pelagius admittere poffet: illud poftea Auguftinus integræ naturæ tribuit. Ac illud erat *Adjutorium fine quo*, ergo iftud eft quod integro ftatui tribuit Auguftinus.



C A P. X.

Expenduntur pro eadem fententia præclari quidam ex libris de peccatorum meritis & remiffione loci.

PRimus efto ex lib. 2. de Peccat. mer. & remif. c. 5. in quo adducto lucis exemplo proponitur utrumque adjutorium perfpicuè, ut appareat unum ab alio effe diverfum. *Sicut corporis oculus non adjuvatur à luce, ut ab eadem luce claufus averfufve difcedat, ut autem videat adjuvatur ab ea, neque hoc omnino nifi illa adjuverit poteft, ita Deus qui lux eft hominis interioris adjuvat mentis noftræ obtutum, ut non fecundum noftram, fed fecundum ejus juftitiam boni aliquid operemur. Si autem ab illo avertimur*

mur, nostrum est. Propositum erat Augustino docere Peccatum, nostrum, & à nobis esse. Bonum à Deo nobis provenire. Id demonstravit exemplo lucis illato. Quo uti solet ad explicandum *Adjutorium sine quo.* Itaque habemus hîc adjutorium primi generis. Si hic sisteret Augustinus suam labefactare videretur sententiam de duplici Adjutorio; nam hic videbatur eo solo, id est, *sine quo* esse contentus: quod maximè Adversarij optarent. Sed Augustinus id prævidit, & præcidit conatus: Etenim cum ad institutum aptè intulisset. *Conversos ergo Deus adjuvat; aversos deserit.* Statim addidit. *Sed etiam ut convertamur ipse adjuvat, quod certè oculis lux ista non præstat.* Ut doceret non satis esse Adjutorium primi generis, *sine quo* luci simile, pro hoc statu; nisi etiam aliud secundi; *quo*: primo adderetur. Itaque quod primum præstaret, claro staret exemplo lucis exposuit; quod secundum quia à primo non erat, & hujus paradigma non æquabat, apposuit à Deo conversionem non conversi, imo & avertentis se hominis. Quod Augustinus ibi celebri illa & decantata sua, & Pelagio maximè invisa sententiâ: *Da quod jubes & jube quod vis*, inducta non piè magis, quàm aptè prosequitur. Hujus vero modum conversionis toto fermè hoc libro secundo pergit exponere, nè nobis quicquam in ea sit, unde gloriemur, cùm tamen nihil sit, cui non cooperemur: itáque libertatis nostræ nos monet, sed omninò Gratiæ ancillantis. Ac primùm queritur, c. 18. *Quòd laborant homines invenire:*

invenire in noſtra voluntate, quid boni ſit noſtrum, quod nobis non ſit ex Deo: quod quia variis modis fieri poteſt, ut omnes uno ictu præcidat, ait; *Quomodo invenire poſſit ignoro.* Et converſus ad arbitrium voluntatis, quo quia rectè agendo utimur eo ad gloriam captandam, interdum abuti volumus, ait: *Niſi obtineamus non ſolum voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis eſt, quibus & malè uti malus poteſt: ſed etiam voluntatem bonam quæ jam in eis bonis, quorum uſus eſſe non poteſt malus niſi ex Deo nobis eſſe non poſſe, neſcio quemadmodum defendamus quod dictum eſt. Quid autem habes, quod non accepiſti?* Priori parte refutat eos qui docebant etiam ſine ulla gratia liberum per ſe bene operari arbitrium: nec idcirco tamen Deo non deberi operationem, quòd ipſum liberum arbitrium à Deo ſit. Quæ pars rem non continet. Secundà tamen omninò continet, dum docet voluntatem bonam ex nobis non eſſe, ſed ex Dei dono venire; nam ſi cum ſolo *Adjutorio ſine quo*, id eſt, Gratiâ tantum inſtar lucis oblatâ bona voluntas fieret, jam ea Dei Donum non eſſet: cum inſtar Adami [illegible] illius Gratiæ à voluntate inciperet, atque ad[illegible] ille flexus voluntatis ad gratiam arbit[illegible] & omnino [illegible]thore Auguſtino meri[illegible]. Quare [illegible] eſſe ut voluntas b[illegible]tute Gr[illegible]ntecedentis, & tra-h[illegible] ſi Grati[illegible]tum concomitans [illegible]rium, [illegible] adeo in illius po-[illegible]ſubject[illegible] tunc D*onum Dei*, ſed effectus

effectus induſtriæ humanæ & meritum humanum, quamvis Gratia ad juvet concomitanter. Quin imò multo major erit ratio negandi hunc modum operandi cum ſolo *Adjutorio ſine Quo* in natura lapſa, quã erat in ſtatu integritatis. Quare Auguſtinus: *Quod ad Deum nos convertimus niſi ipſo excitante, atque adjuvante non poſſumus: & hæc eſt voluntas, bona: quid habemus quod non accepimus? & aliunde convincit: Nam ſi nobis libera quædam voluntas ex Deo eſt, quæ adhuc poteſt eſſe bona vel mala: bona vero voluntas ex nobis eſt; melius eſt id, quod à nobis, quàm quod ab illo eſt.* Hoc quidem in primo ſtatu dici non poterat, quòd jam erat voluntas bona, & tamen *Auguſtinus* in eo propter ſolum bonum uſum Gratiæ meritum negat eſſe donum Dei, & arbitrio illud attribuit, ut appareat quid dicturus eſſet in noſtro ſtatu in quo prava voluntas eſt, ſi cum ſolo hujuſmodi Adjutorio recte liberum operaretur arbitrium?

Duo adhuc ſunt in doctrina hujus libri præclara ad probandam utriuſque differentiam Adjutorij & perſpicua argumenta. Quæ oportet diligenter attendere. Primum: Rationem benè operandi à Gratia eſſe, & à Gratia provenire: ut no[illegible]tia ſequatur, ſed ducat arbitrium: atque ad[illegible]tio operandi à Deo detur, quod ejuſmodi G[illegible] detur, quæ faciat voluntatem operari. In [illegible]eſt virtus Gratiæ efficacis, ſeu Adjutorij [illegible]nde perſpicuè deducitur eum qui benè o[illegible] ita à Deo Adjuvari, ut *illi* tanquam autho-

ri bonis operis meritum sit tribuendum. Audiamus Augustinum. Cap. 17. Duo ponit principia Quæ impediunt voluntatem à bono. Ignorantiam & difficultatem. Deinde statuit Adjutoria, quibus illa vincuntur, Hoc modo. *Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem nè moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Vt autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, Gratia Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates.* Ac nè dubia res esset illud addit pro ratione operandi. *Tantò enim quidque vehementiùs volumus, quantò certiùs, quod bonum sit novimus, eòque delectamur ardentiùs.* Quòd autem major hæc illustratio, & inflammatio sit beneficium Dei voluntarium, atque adeo eum authorem esse operis boni, tradit deinde Augustinus egregiâ ratione, quod nempe Deus modò dat, modò subtrahit, modo auget, modò minuit pro sua voluntate semper justa. *Ideo quisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implere, nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit, non suæ facultatis, sed Divini muneris esse quod scit, vel quod delectatur: ac sic ab elationis vanitate sanetur, & sciat quàm verè non de terra ista, sed spiritualiter dictum sit Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Quam hoc est à primi illius Adjutorij *sine quo* conditione diversum? Idque multò manifestiùs apparet ex sententia capitis. 19. *Intelligamus si possumus Deum, ideo etiam sanctis suis alicujus operis justi aliquando non tribuere, vel certam*

tam ſcientiam, vel victricem delectationem: ut cognoſcant non à ſeipſis ſed ab illo ſibi eſſe lucem, qua illuminantur tenebræ eorum, & ſuavitatem quæ det fructum terræ eorum. Manifeſtum planè eſt diſtinguere inter delectationem *victricem* & aliam quæ non ſit victrix: nam non ait Deum ſubtrahere, delectationem, ſed victricem ſubtrahere, quod quædam ſit tanta quæ vincat & faciat operari, quædam minor ſit, & quæ aut ignorantiâ, aut infirmitate ſuperetur. Cui loco ſimiles ſunt alii; Unus lib. de ſpiritu & Littera, c. 3. Alter lib. de Grat. Chriſti. c. 3. Tertius lib. 3. de libero arbitrio, c. 18. relatus ab Auguſtino lib. de natura & Gratia, c. 68. qui quoniam ibi approbatur duorum inſtar eſſe poterit. Ex his tamen ego ſolum illum de Spirit. & Lit. volo afferre. *Nam neque liberum arbitrium quicquam niſi ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via. Et cum id quod agendum, & quo nitendum eſt, cœperit non valere, niſi etiam delectet, & ametur, non agitur, non ſuſcipitur, non bene vivitur. Ut autem diligatur, Charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, non per liberum arbitrium, quod ſurgit ex nobis, ſed per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis.*

Jam apparet diverſitas hujus auxilij ab eo quod erat proprium ſtatus Integri, nam hoc non ducebat, nec urgebat, nec trahebat arbitrium, quemadmodum iſtud ruinæ ſtatus ducit, urget, & trahit. Nam ibi voluntas erat libera & auxilium habebat in ſua poteſtate: at verò hîc cum eo indigna reddita ſit, opus eſt, ut auxilio Gratiæ dirigatur, & moveatur. Itaque tunc erat motus à voluntate

nunc nescire, nunc delectari, nunc non delectari ut *noverint non suæ facultatis, sed Divini muneris esse quòd sciant, quòd delectentur.* Sed id clarissimè dicit Cap. 5. ut nec refragari quis adversarius; nec desiderare ampliùs amicus Gratiæ possit. *Salutem,* inquit, *nostram Deus operatur in nobis. Cur autem illum tantum, istum non tantum, istum illo, illum isto modo penes ipsum est, & æquitatis tam secretæ ratio, & excellentia potestatis.* Concinit locus alter ejusdem libri. c. 17. *Gratia Dei hominum adjuvat voluntates, qua ut non adjuventur in ipsis itidem causa est, non in Deo, sive damnandi prædestinati sint propter iniquitatem superbiæ, sive contra ipsam suam superbiam judicandi & erudiendi, si sint Filii misericordiæ.* Quo constat nonnullos homines in hoc statu misero ob peccatum originale, quod nos privavit Gratiâ, ejus Auxiliis non adjuvari, vel saltem non æquè, ac alios authore Augustino adjuvari: quod de damnandis justo Dei judicio vult intelligi: imò & confirmat quosdam ex electis, interdum non juvari, seu minus juvari ab disciplinam & eruditionem, nè scilicet superbiant: & de viribus suis præsumant. Utcunque autem sive minus juventur, sive non juventur, certè alius est modus dandi gratiam, ac esset in statu integritatis.

Consentit Cap. 19. in quo ejusdem superbiæ illata mentione ait, *Quod vitium nisi adjuvante gratia superetur adjustitiam nemo convertitur: nisi operante gratia sanetur, justitiæ pace nemo perfruitur. Cujus autem gratiâ vincitur, & sanatur, nisi illius cui*

 dicitur

dicitur: Converte nos Deus ſanitatum noſtrarum, & averte iram tuam à nobis. Quod etſi facit, misericordiâ facit. Et quibus non facit, judicio non facit. Et quis dicet illi quid feciſti, cui miſericordia & judicium piâ ſanctorum mente cantatur? At in ſtatu integritatis, non erat locus judicio, quod non erat culpa originalis, cauſa judicij, imò nec miſericordiæ propriè acceptæ, cum non eſſet miſeria: & Auxilia Gratiæ ex æquitate, uti ſuprà diximus illi naturæ integræ deberetur.

Nequid autem in hoc libro deſiderare Lector in hanc rem poſſit, concluſit Auguſtinus cap. 23. *Cum itaque primorum illòrum hominum fuerit prima juſtitia obedire Deo, & hanc in membris adverſus legem mentis ſuæ legem concupiſcentiæ non haberent: nunc poſt eorum peccatum nata ex eis noſtra carne peccati pro magno obtinetur ab his qui obediunt Deo, deſideriis ejuſdem concupiſcentiæ non obedire, & crucifigere in ſe carnem cum paſſionibus, & concupiſcentiis, ut ſint Jeſu Chriſti, qui hoc in ſua cruce figuravit, quibus per gratiam ſuam dedit poteſtatem Filios Dei fieri. Nom enim omnibus hominibus dedit, ſed quotquot receperunt eum, ut Deo renaſcerentur ſpiritu, qui ſeculo nati erant carne.* Manifeſtè Auguſtinus diſtinxit inter utrunque ſtatum, & aſſeruit, non omnibus datum eſſe in ſtatu ruinæ Adjutorium *Quo* vinceretur concupiſcentia, cum illud ſolis iis ſit datum, *Qui receperunt eum.* At verò in primo illo integro, non eſſet hæc diſtinctio, cum non eſſet, nec peccatum originale, noc caro peccato

cato vitiata. Atque adeo neque concupiſcentia, neque ratio cur huic magis, alii minus Adjutorij donaretur: quod nemo tunc indignus & privatus erat Gratia, qua naturam lapſam peccatum originale privavit. Unde ſi quibus non detur, iis juſtè negatur; ſi quibus donetur, iis miſericorditer donatur. Quæ Auguſtini perpetua & conſtans ſententia eſt. Ad calcem hujus capitis adjicio. Qui doctrinam in eo contentam ac ex his locis deprompt am legat ei omnino mentem Auguſtini, vel aliis prætermiſſis perſpectam fore.

CAP.

enim poteſtis facere boni de corde non bono? Quid mihi obtendis liberum arbitrium, quod ad faciendum bonum liberum non erit, niſi ovis fueris? Ita. c. 6. *Non ſolum enim non habet bonum, ſed habet etiam peſſimum meritum.* Cap. 9. Itaque exclamat Serm. 11. de verbis Apoſtoli: *O malum liberum arbitrium ſine Deo! Experti ſumus quid valeat ſine Deo. Ideo miſeri facti ſumus, quia ſine Deo, quid valeat experti ſumus.*

Creatus eſt homo in natura ſine vitio, creatus eſt rectus, non ſe fecit rectum. Quid autem ſe ipſe fecerit notum eſt, cadens à manu figuli fractus eſt. Ecce bonus factus eſt homo, per liberum arbitrium factus eſt homo malus. Quando facturus eſt bonum hominem malus homo per liberum arbitrium deſerens Deum? ſervare ſe non potuit bonum, & facturus eſt ſe malus bonum? Cum bonus eſſet non ſe ſervavit bonum, & cum ſit malus dicit; Facio me bonum. Aptè munit viam ad inducendum majus Adjutorium: nam ſi homo integer & ſanus, cum ſolo Adjutorio *ſine quo* non ſtetit in eo quod acceperat, quomodo cum eodem tantùm ſurget, & quod non accepit recuperabit? *Carnalis venundatus in culpam* inquit Serm. 12. *Non agit quod vult, cum vult non poteſt, quia quando poterat, noluit. Per malum velle perdidit bonum poſſe, & captivus jam loquitur, & dicit captivus. Non quod volo ago, non enim quod volo facio bonum, ſed quod odi malum, hoc ago, non quod volo.* Et rurſum poſt ejuſmodi multa Serm. 13. *Dominus*

Creato homine sine vitio temperantiam præcipere dignatus est, quam si ille servasset, Medicum postea morbo suo non desideraret: sed quia non servavit, languidus factus est, cecidit infirmus, creavit infirmos, id est, infirmus genuit infirmos. Et infrà. *Ad malè agendum habes sine Adjutorio Dei liberam voluntatem; quanquam non est illa libera. Agis, Deo non adjuvante liberâ voluntate, sed malè.* Hæc satis pro necessitate, miseriâque naturæ in statu ruinæ. Gradum ad Auxilium Gratiæ Faciamus. *Hæc datur per Jesum Christum Dominum nostrum: quæ Deo gratis miserante donatur.* c. ult. lib. 1. Ea cujusmodi sit docet aptissimè in rem nostram imò suam Augustinus lib. 2. c. 9. *Benedictio dulcedinis est Gratia Dei, quâ fit in nobis, ut nos delectet, & cupiamus hoc est amemus quod præcipit nobis.* Vides Adjutorium *Quo* illo termino *qua fit* expressum: ac delineatam rursùs Gratiæ imaginem superioris libri, quam in victrice delectatione posuerat. *Fit ut nos delectet & cupiamus, & amemus. In qua si nos non prævenit Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis. Si enim sine illo nihil possumus facere, profectò, nec incipere, nec perficere, quia ut incipiamus dictum est, Misericordia ejus subsequetur me.* Et eodem capite. *Avertat ergo Deus hanc amentiam, ut in donis ejus nos priores faciamus, posteriorem ipsum.* Essemus autem priores, si cum Auxilio tantùm *sine quo* operaremur: nam cum voluntas nostra mala ad illud se converterit oblatum tantum, & nihil antecedenter movens,

sed

ſed expectans conſenſum, planè nos inciperemus, & Gratia ſequeretur. *Et quidem in nobis bonum propoſitum eſt, quod conſequens adjuvat Gratia, ſed eſſe non potuiſſet, ſi non præcederet Gratia.* Nam *ipſa eſt bona voluntas quæ præparatur à Deo.* lib. 4. c. 6. *Faciam, ut ambuletis; faciam, ut obſervetis; poſtremò faciam, ut faciatis; nos quidem ambulamus, verum eſt, nos obſervamus, nos facimus: ſed ille facit ut ambulemus, ut obſervemus, ut faciamus. Hæc eſt gratia Dei bonos faciens nos. Hæc miſericordia ejus præveniens nos*; ibidem. Sed quâ id ratione fiat docet Auguſtinus toto capite 20. Lib. 1. ad Bonifac. variis exemplis ſcripturarum; ac præcipuè Aſſueri propter orationem Eſther mutati: *Ut quid*, inquit, *in oratione dicit Deo, ſi non operatur Deus in cordibus hominum voluntatem? Quam Deus in* Aſſuero *occultiſſima & efficaciſſima poteſtate convertit, & tranſtulit ab indignatione ad lenitatem: hoc eſt de voluntate lædendi ad voluntatem favendi ſecundum illud Apoſtoli:* Deus *eſt enim, qui operatur in nobis & velle.* An hic erat modus adjuvandi in ſtatu integro? hæcne vis Adjutorij *ſine quo?* Iterùm Auguſtinum audiamus, cap. 19. exemplo Pauli utentem. *Ut credat ipſa voluntas, ſicut Pauli deſuper excitatur, etiamſi tam ſit averſus à fide, ut credentes etiam perſequatur?* & paulo poſt. *Oramus ut mala mala eorum voluntas in bonum mutetur.* Credo non hoc agebat illa Gratia Integritatis, nec enim tanta neceſſitas, tanta vis ejus erat. Huc facit quod tradit contra Pelagianos Auguſtinus. *Deum immittere ſtudium*

virtutis etiam reluctantibus. Id Pelagiani negabant, ità lib. 4. c. 2 & 6. ubi præter alia Augustinus *Reluctanti prius aditus Divinæ vocationis ipsa Dei gratia procuratur, ac deinde in illo jam non reluctante spiritus virtutis accenditur. &* cap. 9. *Oramus non solum pro nolentibus, verumetiam pro repugnantibus & oppugnantibus. Quid ergo petimus, nisi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes? Patet* non hujusmodi esse *Adjutorium sine quo* status integri, nam nec erat repugnans, oppugnánsve voluntas, nec vis potens & efficax ad trahendam, & convertendam voluntatem: Demus lucem aliunde, nempe ex Serm. 13. de verbis Apostoli. *Voluntati suæ tantum arrogant, ut sibi liberum arbitrium posse putent ad justitiam sufficere, quæ tunc quando erat integrâ libertate, id est in Paradiso ostendit vires suas, ostendit quantum possent ad ruendum, non ad surgendum.*

Insignis prorsus ac illustris locus ad monstrandum modum operandi voluntatis cum *Adjutorio sine quo* similem esse ei quem Pelagiani libero arbitrio in statu ruinæ tribuebant, nam cum contra eos hîc agat Augustinus, applicat exemplum libertatis in statu integro vires suas exerentis: quod si Augustini mens non est comparare, rectè docet multò minus hodiè posse, quàm tunc poterat, atque adeo arbitrium multò majore virtute Gratiæ juvandum & confirmandum. Deinde, illud constat liberum arbitrium in eo statu cum non esset destitutum Adjutorio *sine quo*, tamen suis viribus dictum operari: quia

Gratia

Gratia non ducente ſed potius ſequente voluntatem, vendicabat ſibi actionem arbitrium, quòd principium erat & radix actionis, & concurſûs ad illam gratiæ oblatæ, quæ non veniebat niſi ab arbitrio invitata, & tracta. Quare veriſſimè & aptiſſimè Auguſtinus *Oſtendit arbitrium vires ſuas*: atque ut exponeret, quàm parum in arbitrium illud Adjutorium Gratiæ *ſine quo non* valeret, addidit: *Vires ſuas ad ruendum, & non ſurgendum*, perinde illud arbitrium etſi adjutum adjutorio, Gratiæ adjutorio careret, nam idem prorſus effecit, quod gratia effeciſſet. Idcirco *ad ruendum* valuit *non ad ſurgendum*. Cum tam parva eſſet illa vis Adjutorij indifferentis, ut non efficeret conſenſum, ſed expectaret. Unde à conſenſu ruina ſecuta; & meritò, nam illud adjutorium erat oblatum tantùm, nec ad ruinam vitandam ex ſe quicquam movebat. Igitur ſi à voluntate non acceptabatur, nihil operabatur, atque adeo ſola voluntas agebat, Gratiæ præſidia reſpuendo. Itaque perinde erat operari oblato Adjutorio *ſine quo*, ac nullâ movente Gratiâ operari. Hoc voluit Auguſtinus, hoc tradidit.

Notandum verò eſt accuratiùs eum vidiſſe acutè genus iſtud Adjutorij *ſine quo* eſſe tantùm, ſicut Lux & cibus, oblatum: nec quicquam in nobis niſi voluntas accedat operari, quare neceſſe eſſe, ut voluntati ſit tribuendum, utrumlibet ſive benè, ſive ſecus agere. Unde tam noſtræ poteſtatis erit peccare, quàm non peccare, cum excludere & admittere Gratiam in manu ſit poſitum voluntatis: ac

proinde hominis arbitrium esse radicem & principium boni & mali: Et si ad bonum Adjutorio Dei comitante indigeret, non indigeret tamen ad malum. Atque hinc sequi, dari meritum aliquod in voluntate Gratiam antecedens cum ipse flexus ad Gratiam trahendam arbitrij, bonum quiddam sit, atque adeò meritum arbitrij præeuntis Gratiam oblatam.

Atque hæc fortassè causa est, quòd Augustinus & in opinione quorundã Pelagianorum, cùm omninò sine gratiâ meritum ponebant, & in opinione aliorum qui hoc tantùm inducto auxilio *sine quo* meritum inducebant, Utitur eâdem ratione impugnandi, quòd meritum humanum introduceret, perinde ac penè idem contra Gratiam sentirent, cùm tamen hi admitterent Adjutorium Gratiæ *sine quo* & concomitans, illi autem omnino excluderent. Nam videbat quo erat acumine, hos etiam aliquid boni & meriti in arbitrio ante gratiam ponere, nempe illam ipsam inclinationem, & flexum voluntatis ad Gratiam oblatam, & veluti indifferentem, quod sanè non agebat Gratia, cum ante nec inclinaret, nec moveret arbitrium: ac id duntaxat interesse, quod Pelagius interdũ totã actionẽ arbitrio dabat, omninò exclusâ Gratiâ, hi verò principium actionis arbitrio tribuebant, reliquo Gratiam applicabant. Hinc illa Augustini verba sermone 11. *Si aliquid meritorum antevenit Gratiam, ea non gratis datur, sed ex debito redditur. Ab illo ergo omnia*, & contra hos adducit locum illum Pauli, *Quis prior dedit illi?*

Quan-

Quanquam mirum ſit ſi Pelagius hoc Auxilium Gratiæ *ſine quo* concomitans, & per modum concurſus ordinarij excludebat. Sed hac de re latius, Cùm ad objecta veniamus, & accomodatiùs agemus.

Contra hos militat egregius locus. lib. 1. ad Bonifac. c. 19. *Vos autem in bono opere ſic putatis adjuvari hominem Gratiâ Dei, ut in excitanda ejus ad ipſum bonum opus voluntate nihil eam credens operari.* Quo traditur Auxilium Gratiæ non eſſe *ſine quo* oblatum tantum & paratum, ſed præſens, & agens voluntatem; ac in ea operans excitationem, & inchoans motionem; nec eam indifferentem, uti erat antea relinquens. Nam ſi ita maneret immota, & indifferens fruſtrà eſſet ea excitans gratia, cùm in eodem ſtatu quo inveniſſet relinqueret voluntatem. Quid ergo in ea operaretur, quam non moveret, non accenderet, non ageret? Hoc eſt quod damnat in Pelagianis Auguſtinus: dicere. *Nihil eam in excitanda voluntate operari?* Igitur neceſſe eſt cum Auguſtino fateri: Gratiam iſtam excitantem eſſe non tantum Adjutorium *ſine quo* oblatum & paratum: *ſed Quo* movens agénſque voluntatem: retentâ libertate, ſed tamen inclinatâ in bonum: ita ut motus ejus jam ſit à Gratia vincente, ac nihil ſit boni conatus in arbitrio, quod à Gratia non proveniat. Quomodo autem id fiat noſtrûm fortaſſe non eſt comprehendere ob rei difficultatem, ſed fieri tamen fateri cum Auguſtino debemus, nè quid voluntatis præcedat Gratiam, ac ſit quiddam

in

in nobis de quo gloriemur. Iterum *Augustinum* eodem capite audiamus. *Quam multi inimici Christi quotidiè subitò Dei occulta Gratia trahuntur ad Christum? Quod verbum si non ex Evangelio posuissem, quanta de me propter hoc ipse dixisset, cum etiam obluctetur non mihi sed illi qui clamat. Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum. Non enim ait Duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem.* Scrupulosissimè ac minutissimè agit, nè quo modo per illum aliquem modum irrepat in locum Gratiæ natura. Nam si hæc locum usurpet & operetur à se mota ante pulsum Gratiæ, & quòd moveri incipiat, ab illa inchoetur opus, profectò verum non est illud Pauli, *Quis enim te discernit?* docente Augustino Lib. 2. c. 7. *Quis te discernit?* Et tanquam respondisset, *discernit me fides mea, propositum, meritum meum.* (Hoc verbum rem continet, nam meritum humanum vocat Augustinus, meritum quod fit cum Adjutorio *sine quo*) *Quid enim habes inquit, quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? hoc est quasi de tuo sit unde discernaris. Ergo ille discernit, qui unde discernaris impertit.* Ecquis negat Adjutorium *sine quo* non discernere cum indifferens sit. Igitur illud quod discernit, aut est arbitrium, aut Adjutorium *Quo.* Arbitrium certè nequit esse restat ergo Adjutorium *Quo. Quapropter*, inquit *Augustinus* eodem lib. c. 8. *Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo, quæ non facit Deus, ut faciat homo* Vide quid dicat. *Quæ non facit Deus ut faciat*, ut semper Deus sit author, non comes tantum.

tum. Quod ſane ad Adjutorium *Quo* refertur. Conſentit Lib. 4. c. 9. ubi reprehendens adverſarios ait opus bonum Patientiæ de quo cum Cypriano agebat. *A Deo caput, ab ipſo originem ſumere* & c. ult. ait *Gratiam Dei ſuper liberum arbitrium omne antecedere meritum.* Itaque c. 6. eos carpit *qui volunt priores dare quodlibet ex libero arbitrio*: nam tollens *quodlibet* omnem profectò modum præcedendi Gratiam tollit: ac nihil quod ab ea non ſit relinquit, quod nos Filios ſuos docet ſancta Mater Eccleſia orat. Dominicæ vi. poſt Pentecoſt, Deus *cujus eſt totum quod eſt optimum.*

Nec illud quod idoneum eſt maximè ad horum differentiam auxiliorum probandum: nempe non dari omnibus Adjutorium iſtud *Quo*, deſideratur in his libris. Sic enim ait c. 6. lib. 4. *Cur autem iſte acipiat, ille non accipiat, cum ambo non mereantur accipere, & quiſquis eorum acceperat indebitè accipiat? vires ſuas metiantur, & fortiora ſe non ſcrutentur.* Hoc vero quadrare in adjutorium *ſine quo*, cum omnibus multorum ſententiâ offeratur non poſſe, omnes, opinor, intelligunt.

Claudamus caput eo quod mentem præcipuè noſtram præpedire ratiocinando ſolet, ignorantiâ modi quo Deus operatur in nobis haſce motiones Gratiæ efficaces, quibus antecedenter movemur & trahimur illæſâ libertate, ſed inclinatâ voluntate. Huic ergo quæſtioni Auguſtinus reſpondet. Lib. 1. ad Bonifac. c. 19. *Trahitur ergo miris modis ut velit ab illo, qui novit intus in ipſis*

hominum cordibus operari, non ut homines quod fieri non poteſt nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant.



CAP. XII.

Adducuntur ex libro de ſpiritu & Litera, & ex libris de nuptiis & concupiſcentia ad Valerium quidam huc facientes loci.

LIbro de ſpiritu & Litera cap. 2. proponit juſtitiam, id eſt Juſtificationem, opus eſſe Divinum. *Quamvis*, inquit, *ad hominem id agere pertineat, hoc quoque eſſe divinum, atque ideo non dubitare opus eſſe Divinum. Deus eſt. enim qui operatur in nobis ut ait Apoſtolus.* Quo loco et phraſi declarare ſolet rationem efficacem Adjutorij *Quo.* Illud hic adhibet, ut eo fieri in homine juſtitiam ſignificet; & mox utitur termino genuino hujuſce Adjutorij *Quo.* aiens. *Accipiat Spiritum Sanctum Quo fiat in animo ejus delectatio dilectióque ſummi boni.* Ac id quomodo fiat, magis explicans addit, quod mirè conducit. *Nam neque liberum arbitrium quicquam niſi*

nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via. Et *cum id quod agendum, & quo nitendum est cæperit non latere, nisi etiam delectet & ametur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur. Vt autem diligatur Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris.* Qua verò ratione id per Spiritum Sanctum agatur, facit in rem. *Inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam.* Apparet nihil esse antecedens in voluntate boni, atque adeo immittendam esse in eam rationem operandi bonam. Unde adscribit. *Ipsam humanam justitiam claret operationi Dei tribuendam esse, quamvis non fiat sine hominis voluntate.* Accuratè observa præcipuas conversionis & justificationis humanæ partes Gratiæ esse, quod ex modo loquendi patet: non enim *sine quo* tribuit Auxilio, sed *voluntati*: cui applicat *sine qua.* Inverso planè ordine: nam quod erat Gratiæ in statu integritatis, voluntati attribuit in statu ruinæ: & quod erat voluntatis in primo statu, refert ad Gratiam in secundo. Nam voluntas tunc operabatur tanquam domina, sequente gratia, atque ideo *non sine Gratia*: nunc Gratia præcipua operatrix est, & movens voluntatem agit, sed non sine voluntate. Juvat hic locum aliunde vocare & adnectere, Serm. 13 de verbis Apostoli. *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei. Dicit mihi aliquis: Ergo agimur, non agimus: Respondeo: imo & agis, & ageris: & tunc bene agis, si à bono agaris: Spiritus enim Dei qui te agit agentibus adjutor est: ipsum nomen Adjutorij præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis.*

Hîc, quòd erat nomen & munus Gratiæ adjuvantis hominem in ſtatu integro adſcribit homini in ſtatu cadente, quia hic agit voluntas quod ibi agebat Gratia. Illa tunc Adjutorium erat *ſine quo* non operabatur Arbitrium: hîc voluntas veluti Adjutorium, *ſine quo* non operatur Gratia. Ibi tunc primas habebat Arbitrium, ſecundas Gratia: Hic nunc primas vendicat Gratia, ſecundas relinquit arbitrio. Ibi ſumma erat libertas, ſed locum tamen dabat Gratiæ. Hîc ſumma eſt gratiæ virtus, ſed admittit & ſervat arbitrii libertatem. Illic arbitrium non deſtruebat Gratiam Hîc Gratia non evertit libertatem. Illum jam advocemus locum ex libro de Corrept. & Gratia. c. 20. *Velle & operari Deus operatur in nobis. Intelligant Spiritu Dei ſe agi, ut quod agendum agant, & cum egerint illi à quo aguntur gratias agant, aguntur enim ut agant, non ut ipſi nihil agant.* Non potuit meliùs ac explanatiùs quid ego hic ſentirem, ac interpretari molirer Auguſtinus dicere. Pergo, Ceu hi ſe loci mutuò & intelligerent, & invitarent, accurrit ex libro ſubjecto de ſpir. & Litera. c.9. Alius omninò germanus: *Juſtificati gratis per gratiam ipſius. Non itaque juſtificati per legem: non juſtificati per propriam voluntatem, ſed juſtificati gratis per Gratiam ipſius: non quod ſine voluntate noſtra fiat, ſed voluntas noſtra oſtenditur infirma eſſe.*

Locus non erit interpretandi, ubi alter alterum interpretatur locus. Bellè omnino cecidit illud *Non ſine voluntate.* Nec minus bellè aliud cauſam continens *voluntas infirma.* Proſequitur c. 11. *Juſtitia*

Dei

Dei dicitur, quòd impertiendo eam Deus justos facit: ac in rem aptissimè repetit. c. 12. *Ipsa voluntas nostra sine qua bonum operari non possumus, adjuvatur, & erigitur impertito spiritu Gratiæ.* Concinit c. 16. ejusd. lib. *Spiritus cujus dono justificamur*: *quo fit in nobis ut non peccare delectet.* Ceu respiceret Adjutorium Quo dixit *Quo fit.* Et infra addit: *Spiritus per quem* ut effectricem causam indicet. Idem pondus habet illud. c. 27. *Qua gratiâ*: nec enim dicit *sine qua.* Sed *quâ* congruenter ad Adjutorium *Quo.* Cujusmodi autem sit ista Gratia scribit. c 28. *Inspiratâ Deus Gratiæ suavitate per spiritum sanctum facit plus delectare quod præcipit, quàm delectat, quod impedit. Vt anima sanata operetur bonum.* Quæ condelectatio secundum interiorem hominem ait lib. 1. de Nupt & concup. c. 30. *de magna nobis venit Gratia Dei.* Puto magna Gratia non est illa *sine qua.* Sed *qua.* Necessaria est autem magna Gratia *ubi illo magno peccato est natura nostra in deterius commutata.* Quemadmodum inquit. lib. 2. de Nupt. & concup c. 3. 4. *Quam voluntatem Gratia sanat*: *quâ justitia liberè diligatur.* Ut ait de Spir. & Lit. c. 29. Rursum ingeminat *Quâ ex hac igitur sunt opera bona. Quæ dona sunt Dei*, tradit. cap. 28. *Inde habet quodcunque habet. Quisquis enim inde se habere negat, aut non habet*: *aut id quod habet auferetur ab eo.* Cujusmodi sunt, *qui non in se credunt operari Deum.*

Quâ ratione autem operatur Deus in nobis istam voluntatem, quæ donum ejus est docet Augustinus. c. 3. *Bonis suasionibus agit Deus, ut velimus &*

ut credamus, ſive extrinſecùs per Evangelicas exhortationes, ſive intrinſecù ubi nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem; ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. His ergo modis cum Deus agit cum anima rationali; neque enim poteſt credere quolibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio vel vocatio ut credat, profectò et ipsũ velle credere Deus operatur in hõine, et in omnibus miſericordia ejus prævenit nos: conſentire autẽ vocationi vel diſſentire, ſicuti dixi, Propriæ voluntatis eſt. Aptiſſimè Auguſtinus deſcribit modũ & operantis Dei & cõſentientis hominis, ut Dei ſit vocatio, hominis ad vocationẽ conſenſio aſſerendo Gratiã prævenientẽ, & aſtruendo libertatẽ. Ac ne quis putet illã vocationẽ eſſe *ſine qua*, dicit eam *Donum Dei* & ne videatur conſenſioni voluntatis plus tribuere quàm Gratiæ vocanti ait: *Quid habes quod non accepiſti? Accipere verò & habere Anima non poteſt dona, de quibus hoc audit, niſi conſentiendo, ac per hoc quod habeat, & quod accipiat* Dei *eſt, accipere autem & habere Utique & accipientis & habentis eſt.* Quo expoſuit conſenſionem ipſam arbitrii eſſe, ſed cauſam in vocante donante omnia, non tamen tollente libertatem. Quod autem maximè inquirendum eſt: Unde fiat, ut ex duobus audientibus unus credat, alter non credat? Utrum credens ideo credat, quia ita vocatur; aut quia vult accomodare conſenſum vocationis indifferenti ac expectanti ut veniat: atque adeo utrum ſit ratio credendi in Gratia, vel in arbitrio? ita componit Auguſtinus. *Iam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet; cur illi ita ſuadeatur, ut perſuadeatur, illi autem non ita:*

duo

duo ſola occurrunt interim quæ reſpondere mihi placeat. O altitudo divitiarum! & Nunquid Eſt iniquitas apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat nè inveniat præſumptores. Tacitè dixit, quod à Deo ſit cauſa & ratio cur credat, dum ait: *Cur illi ità ſuadeatur ut perſuadeatur. Illi autem non ità. Quod* præcipuè dicit lib. de Prædeſtinat. ſanct. c. 8. *Cum igitur Evangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt, ſed qui credunt Prædicatore forinſecùs inſonante, intus à Patre audiunt atque diſcunt; qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque diſcunt.* Adhuc obſcurius eſt; & poſſet aliquis tergiverſari: ſed addit quo nihil manifeſtiùs. *Hoc eſt; illis datur, illis non datur. Quia nemo venit ad me niſi Pater qui miſit me traxerit eum. Ergo trahi à Patre ad Chriſtum, & audire ac diſcere à Patre, ut veniat ad Chriſtum, nihil aliud eſt, quam donum accipere à Patre quo credat in Chriſtum.* Hoc autem nullâ ratione ad Adjutorium *ſine quo* pertinere poſſe, ecquis non videt? Alias hujuſce rei probationes habet Auguſtinus, & quidem perſpicuas & exploratas, ſed in locum objectorum eas reſervamus. Verum ut abſolvamus hujuſmodi caput, doctrinâ hoc in libro contentâ obſervo hancqueſtionem, De voluntate credendi. *Unde ſit? & an à Deo, & Dei Donum ſit*; latè ac luculenter tractari ab Auguſtino. c. 31. 32. & 33. hujus libri de ſpiritu & Littera. Ac confici *voluntatem* credendi ex Deo ac Dei eſſe: nec obſtare, quòd ſi id dicamus objiciant Infideles atque impji, *juſtè ſe excuſandos; ideo enim non credidiſſe, quòd dare illis* Deus *noluit*

hanc

hanc voluntatem. Cui objectioni ita Auguſtinus reſpondet, ut primùm adducat reſponſionem faventem arbitrio ac ſemi-Pelagianam, quam, proponit c. 32. deinde eam oppugnet. c. 33. & confirmat ſuam, & verè Catholicam reſponſionem cujus finis eſt ea, quam ſuprà retuli *ad illam profunditatem* ſententia. Quæ ſanè idonea eſt ad virtutem & diverſitatem Adjutorij *Quo* explanandam: cujus munere fit, ut unus ab alio dſcernatur. Juxta illud Pauli, *Quis eſt quis te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti?* Quo ſe munire ſolet Auguſtinus. Sed hæc aliàs ſunt opportuniùs ac operoſiùs diſputanda.

CAP.



CAP. XIII.

Nonnulla ex libris de Gratia Christi, & de Peccato Originali testimonia proponuntur.

MAgna est ac densa libro de Gratiâ Christi Augustino cum Pelagio disputatio circa Adjutorium Gratiæ. Ajente Pelagio Deum juvare possibilitatem nostram auxilio Gratiæ: atque hoc ipsum *posse*, Dei donum esse: non autem juvare actionem & effectum. Ita ut *posse* Dei esset: *velle* ac *operari* nostrum. Id incipit proponere Pelagij verbis Augustinus c. 4. & multis deinde capitibus prosequitur & c. 5. concludit. *Ideo non adjuvat, ut agamus, sed tantum adjuvat, ut velle & agere valeamus.* Augustino negante nostrum esse *velle* & *operari* sine Dei agente ac movente gratia, juxta illud Pauli. *Deus enim est qui operatur in nobis & velle & operari.* Unde quia Pelagius in ea possibilitate ponebat Gratiam, videbatur naturam in eo statu integritatis ponere, ac ei fortè *A*djutorium congruum *sine quo* concedere, nec ulterius Gratiam aliquam moventem & agentem id, est, *A*djutorium *Quo* ponere. Quanquam enim alij in hac sententia inessent errores, hic tamen rem continet, quam monstrare

conamur. Tollebat igitur Pelagius Gratiam *quâ Deus donat, atque adjuvat, ut agamus*: quomodocunque Adjutorium aliud inducat, in quo & anceps & vafer, ex hæreticorum ingenio fuit. Quare cum confutans Auguſtinus: *ſed nos*, inquit, c. 10. *eam Gratiam, volumus iſti aliquandò fateantur: qua futuræ gloriæ magnitudo non ſolum promittitur, verumetiam creditur, & ſperatur: nec ſolum revelatur ſapientia, verumetiam & amatur: nec ſuadetur ſolum omne quod bonum eſt, verum & perſuadetur.* Rem præſtitit Auguſtinus definiens Adjutorium *Quo*, ac illud omnino exigens, nam dicente Pelagio ſatis eſſe legem, & doctrinam ad operandum, negavit Auguſtinus: & cujuſmodi gratia ejus foret, docuit; Atque id argumentando addidit, quod indigitat & confirmat Adjutorium *Quo*. *Non enim*, ait Ibid. *Omnium eſt Fides, qui audiunt per Scripturas: aut omnibus perſuadetur quibuſcunque ſuadetur. Quorum autem ſit Fides & quibus perſuadetur, ut veniant, ſatis ipſe demonſtravit ubi ait: Nemo poteſt venire ad me niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Eodem argumento, & loco utitur, quo proximis capitibus uſum eum diximus ad aſſerendum Adjutorium *Quo*, ut videat Lector quam ſibi conſentiat Pelagius aiens propoſito Fidei objecto duobus hominibus, cauſam veniendi in arbitrio, non in motu intimo Gratiæ eſſe: atque adeo rationem diſcernendi non eſſe à Deo movente, ſed ab homine veniente: & quàm ſibi Auguſtinus conſentiat, docens à Gratia provenire quòd ille veniat, ſed tamen liber libens que veniat: atque

atque adeo rationem discernendi ad Deum pertinere.

Et quidem id manifestiùs Augustinus tradit. c. 14. *Omnis qui audivit, & didicit venit ad me. Qui ergo non venerit, non de illo rectè dicitur audivit quidem & didicit, sibi esse veniendum, sed facere non vult, quod didicit. Prorsus non rectè dicitur de isto docendi modo: Per Gratiam docet Deus.* Accuratè observa; Quum Deus vocat per Gratiam suam, *Qua* vocat, ut veniat eum prorsus velle, & venire. Eum verò quem per doctrinam vocat, quam Gratiam non putat Augustinus, & putabat Pelagius: eum quidem *non velle nec venire*: ut constet Gratiæ virtus, quâ semper fit, ut quis discat, & veniat. Pergit: *Quis autem non videat, & venire quenquã & non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit, non autem potest nisi adjutum esse, si venit, Et sic adjutum, ut non solum quod faciendum sit sciat, sed quod scierit, etiam faciat. Ac per hoc quando Deus docet non per Legis Litteram, sed per spiritus gratiam ita docet, ut quicunque didicerit, non tantùm cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat.* Non quid in Pelagio refellat, sed quid statuat, expendo: nempè: Deum ita audientem intus docere, ut discere docendo faciat, ac proinde veniat, quia sic didicit; ita discat quia sic docetur. Unde cap. 13. *Hæc Gratia, si doctrina dicenda est certè sic dicatur, ut altiùs & interiùs eam Deus cum ineffabili suavitate dicatur infundere, ut non ostendat tantùmmodò veritatem, sed etiam impertiat charitatem. Sic enim docet Deus eos, qui secundum*

propoſitum vocati ſunt, ſimul donans, & quid agant ſcire, & quod ſciunt agere. Et iterum adverſus Pelagium. c. 14. concludit. *Omnis qui didicit à Patere non ſolum poteſt venire, ſed venit: ubi jam & poſſibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus eſt.* Et cum Pelagius intuliſſet oculorum exemplum. c. 15. *Quod poſſumus videre oculis noſtrum non eſt, quod verò benè aut malè videmus hoc noſtrum eſt.* Suſcepit Auguſtinus : *Reſpondeat illi Pſalmus, ubi Deo dicitur: Averte culos meos ne videant vanitatem. Quod etſi de oculis mentis dictum eſt, unde utique procedit in hos oculos carnis vel benè videre, vel malè: non quemadmodum dicuntur bene videre, ſanis oculis intuentes, & malè lippientes: ſed benè videre ad ſubveniendum, malè videre ad concupiſcendum. Quamvis enim per hos exteriores oculos videatur, & pauper cui ſubvenitur, & mulier, quæ concupiſcitur, tamen ex interioribus ad malè vel benè videndú miſericordia vel libidoprocedit. Cur ergo dicitur Deo: Averte oculos meos nè videant vanitatem? Cur petitur quod ad noſtram pertinet poteſtatem, ſi Deus non adjuvat voluntatem?* Adjuvat autem Deus eo auxilio *quo velle & operari operatur in nobis. Non quia nos non volumus, aut non agimus, ſed quia ſine ipſius adjutorio, nec volumus aliquid boni, nec agimus.* Ex quo liquet genus adjutorij tale eſſe, ut neceſſe ſit libertatem munire ac tueri, ne quis putet eam illò inducto, cum tam ſit efficax, periclitari. Tanta quippe virtus Gratiæ eſt, ut per eam Deus *Cor noſtrum quo voluerit ipſe declinet,* quod ait c. 23. Hujuſce virtutis

virtutis exemplum affert, c. 24. clarissimum, & à nobis proximè exhibitum loco Assueri Hesterisque inducto. *Convertit*, ait, *Deus & transtulit indignationem ejus in lenitatem. Qui autem non videat multò majus esse indignationem à contrario in lenitatem convertere atque transferre: quàm cor neutra affectione præoccupatum sed inter utrumque medium in aliquid declinare?* Puto Adjutorium *sine quo* hac virtute caruisse, cum expectaret voluntatem, & ab ea regeretur, ab eáque penderet.

Cujusmodi Adjutorium induxisse videtur Pelagius c. 6. opponens illud Adjutorio Gratiæ *Quo* quale statuebat Augustinus. *Possibilitatem nostram*, inquit Pelagius, *Gratiæ suæ adjuvat semper auxilio: ut scilicet in voluntate & actione non ideo laus sit Dei, & hominis quia sic vult homo, ut tamen ejus voluntati Deus ardorem dilectionis inspiret.* Ex eo quod non vult Pelagius apparet quid velit: non vult ut Adjutorium sit antecedens, & efficax: non ut sit *Quo*. Nec enim vult ut eo inspiretur ardor dilectionis, ne Deo actio & meritum tribuatur, quod maximè vult Augustinus. Non negat tamen Adjutorium, imò affirmat quod hujusmodi non sit: nec multum putat interesse inter alia Adjutoria, modo istud, *Quo* excludatur quod horrebat *cane pejus & angue*. Unde subdit Augustinus. *Non est hìc apertum vel quam dicat Gratiam, vel quatenus eà naturam sentiat adjuvari.* Perinde ac omne aliud Adjutorium suspectum esset, ni foret hoc *quo* ita juvatur voluntas ut antecedenter & moveatur, & agatur. Cum præsertim illud Adjutorium à Pelagio invectum esset

ad posse non ad esse: atque adeo simile Adjutorio *sine quo.* Nam disertè ait, *Deus adjuvat possibilitatem nostram.* Acidcircò Augustinus c. 8. queritur eum aliam Gratiam introducere, *Non qua donat, atq; adjuvat ut agamus.* Quæ quidem est genuina Gratia Adjutorii *Quo*, & hanc fateri oportebat, *nè ad faciendam justitiam de liberi arbitrii quasi propriis viribus* præsumeretur. Quare ait c. 5. *Non solum* Deus *posse nostrum donavit atque adjuvat*: In quo est Adjutorium *sine quo, sed etiam velle & operari operatur in nobis.* Quod Adjutorium *Quo* perspicuè continet. Est autem illud expressum c. 35. *Credat*, inquit, *aliquod adjutorium bene agendi adjunctum naturæ, atque doctrinæ per inspirationem luminosissimæ & flagrantissimæ Charitatis.* In quem bellè quadrat illa sententia Augustini l. 2. d. Peccato Origin. contra Celestium c. 24. *Charitas est diffusa per spiritum sanctum; qui ubi vult, spirat, non merita sequens, sed merita faciens.* Viden?ut iisdem vestigiis insistat impugnans Pelagium Gratiam prorsus tollentem, quibus institerat asserens *Adjutorium Quo*, ut confutaret eos qui solum Adjutorium *sine quo* astruebant: ac eâdem phrasi utatur defendens Gratiam adversus Pelagium, ac utitur opponens Adjutorium *Quo* alteri Adjutorio *sine quo.* Perinde ac idem penè sequeretur merendi modus ex Adjutorio Pelagii, ac ex Adjutorio *sine quo.* Nam hoc merita humana faciebat, quæ collata Gratia Perseverantiæ sequebatur. Illud vero Adjutorium Pelagii similem rationem meriti invehebat, cui ulterior Gratia reddebatur, atque

adeo utrobique Gratia meritorum ſequax erat. Quare quorum idem erat affectus, eorum quoque ſimilem naturam eſſe oportebat. Unde illud Adjutorium integræ naturæ & hoc quod inducit Pelagius germana videntur. Nec mirum cum is negaret naturam humanam eſſe peccato vitiatam: eámque valentem & ſanam ac in ſtatu integro affirmaret. Quod impugnat cum alibi ſæpè Auguſtinus tum l. 2. c. 35. *In deterius quippe mutata natura non invenit primæ illius puritatis exemplum.* Hic fons erroris; nam qui naturam in ſtatu integro ponebat, non aliud poſtulabat Adjutorium quam *ſine quo.* Id quippe ſtatui illi congruum erat. Atque adeò ſanantem, roborantem, moventem gratiam, quæ propria Chriſti erat, prorſus negabat. Unde Auguſtinus l. 2. c. 29. *Quiſquis humanam contendit in qualibet ætate naturam non indigere medico ſecundo Adam, quia non eſt vitiata in primo Adam, non eſt in aliqua quæſtione in qua dubitari ſalva fide poteſt, ſed in ipſa regula Fidei qua Chriſtiani ſumus Gratiæ Deï convincitur inimicus.* Itaque ponendum eſt tale Adjutorium, ut voluntatem ægrotam ſanet, languentem excitet, lapſam erigat, reſiſtentem vincat, repugnantem trahat. Ut omninò *fateamur*, inquit Auguſtinus, *interna atque occulta mirabili ac ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum non ſolum veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates.* Ac nè quis de modo dubitaret, Paradigma illuſtre propoſuit c. 43. aſſumptâ ſententiâ Ambroſii & illuſtrata: *Reſpexit*, ait, *Dominus Petrum. Intus actum eſt, in mente actum eſt* Miſericordiâ

cordiâ Dominus latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit: interiore Gratia sua visitavit Petrum: interioris hominis usque ad exteriores lacrymas movit, & produxit affectum. Observarat quippe circa conversionem Petri Augustinus. *Illud respexit Dominus Petrum* intelligendum non esse de aspectu corporali: cum Christus esset intus coram Principe sacerdotum, Petrus vero foris in Atrio cum servis sederet. Inde autem collegit aspectum illum Christi interius quiddam fuisse, quo Petrus à Christo tactus doluit & resipuit. Quem cum ex Ambrosio respectum adduxisset, ac uti proximè diximus, explicasset: clausulam hujusmodi adhibuit. *Ecce quemadmodum Deus adjuvando adest voluntatibus & actionibus nostris. Ecce quemadmodum & velle & operari, operatur in nobis* scilicet *subveniendo*; *cor tangendo*; memoriam revocando; lacrymas movendo; producendo affectum. Quæ sanè Adjutorii *Quo* genuinæ ac germanæ notæ.

CAP.

CAP. XIII.

Eadem ex ſex libris contra Julianum doctrina confirmatur.

PAuciora hîc ſunt, quàm pro mole operis & copia rerum teſtimonia, quoniam diverſum argumentum diſputationis, Id eſt, Peccati Originalis,& ex eo natæ concupiſcentiæ veritas erat. Sunt tamen quædam incidentia, quædam vocata, quædam reſpondentia quæ pondus habeant. *A*c primum ipſius Peccati originalis aſſertio Fons eſt neceſſitatis ſingularis auxilij Gratiæ, quod ſublato Peccato Pelagiani auferebant. Deinde ipſius concupiſcentiæ affirmatio ſecum affert multas & graves cauſas poſtulandi à Deo Adjutorij validi ac potentis ad reſiſtendum tentationibus quæex iis oriuntur. Itaque omnia quæ Auguſtinus lib. 1, & 2. hac de re congerit rem profectò continent. Nec ſunt aliena,quæ libro tertio jam propius & quaſi collato cum Juliano pede de concupiſcentia & nuptiis diſputat.

In lib. 4. egregium teſtimonium de Gratia Chriſti efficaci, et operatrice habetur. *Bonam* inquit Auguſtinus, *dicis hominum naturam, quia talis Gratiæ opitulationem meretur. Quod gratanter audirem, ſi hoc propterea quia rationalis eſt natura diceres. Neque enim Gratia Dei per Jeſum Chriſtum, Dominum noſtrum lapidibus aut lignis pecoribúſve præſtatur; ſed quia imago Dei eſt, meretur hanc gratiam: non tamen ut ejus bona voluntas præcederet gratiam, nè vel ipſam prior det ut retribuatur illi, ac ſic gratia jam non ſit gratia, dum non datur gratuita, ſed redditur debita.* Hoc altiùs ductum, illud propiùs. *Itane oblitus fueras nos cum ſcriptura diceret contra vos: Præparatur voluntas à Domino, vel quod in nobis Deus operetur & velle. A*pparet cujuſmodi ſit *A*djutorium quo præparatur uoluntas planè efficax & operans, atque adeo *Quo*. Id manifeſtius patet Cap. 8. ubi hoc nomine calumniantur *A*uguſtinum Pelagiani, quod videatur eo *A*djutorio ponere neceſſitatem, & vim afferre voluntati. *Dicitis quòd appellatione Gratiæ bonos fieri homines fatali neceſſitate dicamus.* Et quòd inducto eo genere *A*uxilij nihil omnino voluntas ad ſalutem præſtaret. *Nihil ſtudii expectari ab humana voluntate debere.* Quæ *A*uguſtinus refutans, *Vos*, inquit, *ponere jam cœpiſtis merita gratiam præcedentia, quod eſt petere, quærere, pulſare tanquam gratia nulla præceſſerit, & cor tetigerit:* Quomodo autem tangat, jam ſubjicit. *Fruſtra nos pro inimicis noſtris jubet* Deus *orare, ſi non eſt ejus averſa & adverſa convertere.* Et inductâ reſponſione Juliani nixa loco *Pauli* malè intellecto: *Omnes qui non veniunt ad Deum ideo non venire, quia ex arbitrio nolint*

lunt: confutans adducit exemplum Infantium qui ſine baptiſmo decedunt : & *dicere*, inquit, *his Deus non poteſt : Volui & noluiſtis, quia ſi voluiſſet quis eorum qui nondum habent voluntatis ſuæ arbitrium voluntati ejus omnipotentiſſimæ reſtitiſſet?* Unde patet non eſſe in ſalute conſequenda, nec in auxiliis ad eam applicandis primas & præcipuas partes humani arbitrij, quemadmodum foret, ſi ſolo Adjutorio *ſine Quo* uteretur: Sed Dei Adjutorio *Quo* ex decreto efficaci præſtito voluntatem juvantis, moventis, atque eam ad ſalutem æternam dirigentis. Huc facit, quòd poſt prolixam diſputationem concludit: Deum *quibuſdam velle, quibuſdam nolle ſubvenire*, quod alieniſſimum eſt à doctrina de *Adjutorio ſine quo*: nam hoc ejus eſt conditionis, ut nemini omninò deſit, imo pateat & offeratur omnibus. Id nimirum eo loco volebat Julianus, ut omnibus prorſus Deus æquè præſto eſſet, & pares vias ad ſalutem præſtaret. *Itaque ſi hoc profundius eſſe perſpicis, quàm ut abs te valeat inveniri (hoc eſt de Infantibus aliis ſine baptiſmo, aliis eo ſuſcepto pereuntibus) utrique noſtrum profundum ſit, cur & in majoribus & minoribus* Deus *velit alteri, & nolit alteri ſubvenire, dum tamen certum & immobile teneamus non eſſe iniquitatem apud Deum, qua quenquam ſine malis meritis damnet: & eſſe bonitatem apud Deum qua quenquam ſine malis meritis damnet, demonſtrare in eis quos damnat quid omnibus, debeatur: ut hinc diſcant quos liberat, quæ ſibi pœna debita relaxetur, & quæ indebita Gratia condonetur.* Hæc omnia quæ Auguſtinus docet ex ſententia ponente Adju-

torium *Quo* omnino consequuntur : non ex alia, quæ inducit *A*djutorium *sine quo.*

Nam hoc cum det *posse si velit*, & æquum est, & omnibus præstò esse deberet; sed illud *cum det velle & operari* multò quam illud majus est, & non omnibus datur, cum non omnes operentur, & quibus datur non æqualiter datur, cum alij multò alij sanctiùs, & fortiùs operentur. Quare etsi in statu integro esset *Gratia magna Dei*, inquit eodem Lib. c. ult. Augustinus, *ubi terrenum & animale corpus bestialem libidinem non habebat*, tamen multò in statu ruinæ potentior erat & fortior, ubi *homo eâdem gratia spolatus* contra infirmitatem pugnans victoriam reportat, & triumphat.

Huc redit longa illa disceptatio de peccatis quæ sunt pœnæ peccatorum contra Julianum id negantem c.3. lib.5. nam ex ea doctrina sequitur: Deum non dare omnibus auxilium *quo* operentur, & quibus negat, eos minus habere, quàm quibus datur. Unde apparet quibusdam deesse, quod aliis suppetit; atque adeo distincta duo esse genera auxiliorum, ac multum inter utrumque interesse. Quod satis est ad monstrandum longè diversum quiddam esse *Adjutorium quo* ab *A*djutorio *sine quo.* Nam certè qui permittuntur peccare in pœnam peccati, & indurati dicũtur, non habent illud *A*djutorium *quo* dum in eo sunt statu; Quod tamen habent justi cum in gratia sunt & ex gratia operantur: De quo alibi disputabimus. Nam si obstinati illud haberent , profectò operarentur & ab obstinatione recederent: non quod iis inquit *A*ugustinus lib. 1. ad Simpl. 9. 2. *Deus irroget, quo*

mali

mali fiant, sed quòd non det, quo fiant meliores. Ac in hoc capite est illa præclara sententia. *Exaudit propitius, non exaudit iratus. Et rursus non parcit propitius, parcit iratus.* Ut hinc appareat Auxilium de quo sermo est, esse *Quo*, non illud *sine quo.*

Jam verò lib. 6. quidam ad ipsum Adjutorium spectantes occurrunt loci; nam cap. 5. unus est similis ei qui lib. de Corrept. & Gratiâ non semel invenitur. *Si spiritu, inquit, facta carnis mortificaveritis vivetis: & ut hoc scirent se hoc non facere, nisi gratiâ Dei, continuò subdidit. Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei. Ac per hoc quicunque aguntur Dei spiritu, ipsi facta carnis mortificant spiritu; Nempe, aguntur, ut agant, non ut ipsi nihil agant*; & qui eo Adjutorio *quo* aguntur, ii omninò agunt & operantur.

Offert autem pulcherrimum principium Augustinus: unde deducamus Adjutorium *Quo* esse validum & forte auxilium, & aliquando ejus vires crescere, prout occasio exigit. Quod certè non quadrat in Adjutorium *sine quo. Contra istam concupiscentiam, inquit, vehementiùs vidua, quàm virgo, vehementiùs meretrix quando casta esse voluerit, quàm quæ semper fuit casta confligit, & tantò ampliùs in ea superanda voluntas laboravit, quantò majores ei consuetudo vires dedit.* Ecquis non videt Adjutorium illud *sine quo* non rejicere, sed esse solum oblatum et indifferens: atque adeo ecquis dubitet ubi major sit voluntatis infirmitas & vehementior vis concupiscentiæ, opus esse fortissimo & validissimo Auxilio. Cujusmodi est illud *Quo*; nam certè si voluntas à majore hoste oppugnata cum Adjutorio *sine quo* resistit ac superat,

atque id à Gratia non accipit, neceſſe eſt ut ipſe vires eliciat, ac ſibi tribuat quòd vincat. Sed hoc quî fieri poſſit, cum voluntas infirma, & veteri conſuetudini obnoxia vix poſſit ſe explicare ac expedire: niſi à Gratia moveatur, & roboretur? Quod per Adjutorium *Quo* prorſus fit.

Claudamus hujuſmodi caput imagine Adjutorii *ſine quo.* Quam Auguſtinus contra Julianum proponit Cap. 9. ubi comperies ejus notam genuinam quam ubique Author in fecit: & quâ perpetuo ab Adjutorio *Quo* diſtinguit. *Hos*, inquit, *Catholica redarguit veritas, confitens originale peccatum, per quod factum eſt dæmonum ludibrium genus humanum, & laborioſæ miſeriæ deſtinata propago mortalium. Non autem iſta eſſet, ſi humana natura per liberum arbitrium, ex quo ſtatu primùm condita eſt perſtitiſſet.* Puto hoc audito reminiſci oportere quenquam, quod toties Auguſtinus inculcavit, opera illo Adjutorio cooperante facta libero arbitrio tribuenda: atque adeò humana merita dicenda, non Dona Dei: quòd iſtud Adjutorium, cum vires nullas antecedenti voluntati præberet, nec eam priùs traheret, imo ab ea traheretur, impetum volunatis ductumque ſequebatur. Unde fiebat ut inutramque partem, atquè diceretur ſtare per liberum arbitrium, & non ſtare per liberum arbitrium, cùm in manu ejus qui operabatur omninò eſſet uſus, & non uſus illius Adjutorii *ſine Quo* ad utrũque indifferenter ſe habentis: Hujus rei lineam duxit Auguſtinus principio hujuſce capitis 9. ut ex integro imaginem exhiberet. Ait igitur de Diabolo:

Hominem

Hominem occidit per fœminæ ſeductionem, & in veritate per liberum arbitrium non ſtetit. Reponit cito *Non ſtetit per liberum arbitrium: illi per liberum arbitrium ſteterunt.*



CAP. XV.

Ex aliis Epiſtolarum 46. & 47. & libri de Perfectione juſtitiæ locus idem oſtenditur.

DUos tantùm in his duabus Epiſtolis, & totidem in libro de Perfect. juſtitiæ invenio, ſed eos aptiſſimos. Ab his placet initium ſumere. Objecta ſibi diſcipulorũ Celeſtii Sicilienſium argumentatione pro viribus liberi arbitrii, quam non paucis utriuſque Teſtamenti teſtimoniis confirmabant, aſſerendo hominem poſt ruinam æquè ad bonum ac malum ex libertate voluntatis eſſe indifferentem, ac potentem, qui erat ſtatus Adjutorii *ſine quo*; proponit Auguſtinus ſuam de infirmitate voluntatis & virtute Adjutorii *Quo* doctrinam, *Nè inducas*, inquit, *nos in tentationem: ſed libera nos à malo. Ut quid enim iſta orando tanto gemitu petimus, ſi volentis hominis*

ut non quasi ex necessitate bonum ejus esset, sed voluntarium: quasi aliter sit voluntarium bonum; nisi cum Deus operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. Aut quià in Deuteronomio scriptum est; Vitam & mortem dedit ante faciem hominis, bonum & malum, & admonuit ut eligeret vitam, quasi et à ipso admonitio non de misericordià veniat; & paulò pòst: *Positis ante hominem igne, et aquâ, quò vult quidem porriget manum, sed altior est qui vocat altius, quàm omnis humana cogitatio.* Hac ratione hos locos refutat, ut Gratiæ priores det partes, quas certè in statu integro non habebat. Ut Quicquid voluntas boni agat à Gratiæ fonte proveniat. Unde ad id posteà probandum adhibet locum illum celebrem Joannis 6. *Nemo*, inquit, *potest ad me venire, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Causam vero veniendi refert ad voluntatem Prædestinantis Dei. *Sciebat enim*, ait, *ab initio Justos qui essent credentes, & quis eum traditurus esset*; *& dicebat, Propterea dixi vobis, quia nemo potest ad me venire, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Quo frequenter utitur ad probandum quanta sit vis, & efficacia Gratiæ Christi vocantis.

Hinc est ut Epistola 66. doceat, nec nos meritis nostris discerni, nec de discretione & salute ipsam consequente gloriari posse. Id exprobrando hæreticis Pelagianis tradit hoc modo; *Dicunt Gratiam Dei secundùm merita nostra dari, ut qui gloriatur, nòn in Domino, sed in seipso glorietur, hoc est, in homine, non in* Domino. *Quod probibet Apostolus dicens, nemo glorietur in homine.* Et alio loco. *Qui gloriatur, inquit, in Do-*

 mino

mino glorietur. Illi verò hæretici ipſos à ſe ipſis juſtos fieri putantes, quaſi hoc eis non dederit Deus, ſed ipſi ſibi, non utique in Domino, ſed in ſemetipſis gloriantur. Talibus enim dicit Apoſtolus. Quis enim te diſcernit? quod ideo dicit, quia de maſſa illius perditionis, quæ facta eſt ex Adam non diſcernit hominem, niſi ut eum faciat vas in honorem, non in contumeliam niſi Deus. Et ſi contra Pelagianos hæc dicta ſint, probant tamen Adjutorii *Quo* virtutem: nam eò fit ut homo non à ſe ipſo diſcernatur, nec in ſe ipſo glorietur. Quæ certè duo in Pelagionarum hæreſi planiſſimè conſtant. Nam utrunque & diſcerni & gloriari aſſerebant: & ex opinione tollente Adjutorium *ſine quo*, etſi obſcuriùs & mitiùs, tamen ſequuntur. Cum illud Adjutorium *ſine quo* relictum in poteſtate voluntatis, non eam moveat & trahat, ſed expectet moventem & trahentem ſequatur. In quo eſt major vis voluntatis in Gratiam, quàm Gratiæ in voluntatem. Unde ratio & diſcernendi, & ex eo gloriandi in ipſam voluntatem demum refertur; In qua eſt prima vis determinandi. Quod longè aliter fit in operando cum Adjutorio *Quo*, uti ſæpe antea ex Auguſtino tradidimus.

Tota Epiſtola 67. hujus plena doctrinæ reperitur. Incipit enim meritum removendo humanum. Hac ratione *in Pelagianorum, inquit, errorem cadit, qui putat aliquo humano merito Gratiam Dei dari.* Ubi illud *aliquo* indicat non Pelagianorum hæreſim, quæ omnimodo illud ponebat, ſed molliores opiniones aliquod initium meriti ante Gratiam, & aliquam

rationem

rationem operandi in ipsam Gratiam constituentes. Deinde pergens conciliare efficaciam Gratiæ cum libertate voluntatis, docet ipsam bonam voluntatem per Gratiam Dei fieri, non ex se, aut esse, aut haberi, hoc modo. *Ipsam enim bonam voluntatem per* Dei *gratiam consecuti sunt*. Quod sanè dici nequit, si voluntas accepto tantùm Adjutorio *sine quo* operatur: nam cum istud nihil antecedenter moveat flectátve voluntatem, non mutat voluntatem. Imò ab ea tanquam jam bona bene accipitur, & ad operandum applicatur. Postea ex Cypriano tradit: *Omnia quæ ad mores nostros pertinent quibus rectè vivimus, à Patre nostro qui in cœlis est esse poscenda: nè de libero præsumentes arbitrio à Divina Gratia decidamus*. Quæ duo argumenta probant, non à nobis esse initium, aut rationem operandi, sed à Deo. Nam si à voluntate nostra esset primus motus in operando, & ea voluntas Gratiam traheret, & efficacem redderet, non esset à nobis rogandus Deus, ut talem nobis Gratiam daret, quâ moveretur voluntas, sed nos ipsi orandi & monendi, ut vellemus Gratiam operantem efficere. Præterea gloriari possemus in bonis operibus nostris, si ita ageremus, ut Gratiam non motricem & ductricem, sed sequacem habeamus. Quare manifestum est ex hujus Epistolæ testimoniis Adjutorium *sine quo* non satis esse, ad munia Gratiæ Christi efficacis implenda, sed opus omnino esse Adjutorio *Quo* potentiore & fortiore, à quo voluntas flectatur, & inclinetur. Nam ut optimè ex Augustino hîc concluditur. Inaniter orationes ab Eclesia fierent,

nisi Ea crederet, etiam malas atque infideles hominum voluntates per Dei gratiam in bonum posse converti. Quod sanè non nisi per Adjutorium *Quo* effici prorsus liquet.



CAP. XVI.

Plurima & præclara ex Libro de Gratiâ & libero arbitrio in eandem rem testimonia afferuntur.

NUsquam fortasse post librum de Correptione & Gratiâ illustriora sunt de virtute Adjutorii *Quo* aptioraque testimonia. Aliam partem *Sine Quo* hic sanè non desideres cum etsi suo nomine non appelletur, satis tamen ex modo juvandi suo agnoscatur.

Propositâ capite 1. difficillimâ quæstione de consensione Gratiæ cum libero arbitrio, eoque c. 2. & 3. asserto & validissimè confirmato, agit Augustinus de Gratia ipsum excitante ac movente: aitque tale Adjutorium ponendum *quo* liberum ipsum arbitrium, ita moveatur, ut omnino operetur ac velit, ac ita velit & operetur, ut in eo tamen gloriari nequeat,

queat, quòd quicquid boni agit, etsi liberè agat, non libero arbitrio, sed Gratiæ tribuendum sit. Quod perpetuò hactenus egerat.

Ac primum jam in ipsa, quam initio expendit difficultate consensionis arbitrij & Gratiæ, satis ostendit Augustinus Gratiam ipsam cui consentit diversam esse ab Adjutorio *sine quo*: nam in hoc maximè libertas apparet: ac ideo Authores nimium libertatis amantes illud semper inducunt, & solum ingerunt, ut indifferentem voluntatem relinquant, & cum integra in utramque partem potestate: atque adeo removent Adjutorium *Quo*; nam eo, (uti Augustinus ponit) opinantur tolli indifferentiam, atque adeo libertatem, quam cum ea confundunt, voluntatis. Hoc sanè argumentum perspicuum est, cum illud Adjutorium ponitur, quo adhibito difficile intelligitur, quomodo cum eo stet voluntatis libertas; non Adjutorium *sine quo* sed *Quo*: nam cum illo *sine quo* maximè libertas consentit.

Argumento testimonia adjungamus. Illud esto primum c. 20. *Oppugnant Gratiam Qua voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam: & cum bona fuerit adjuvatur.* Cum dixit *Qua* virtutem Adjutorij *Quo* monstravit: cum reliqua addidit, officia ejus posuit ac distinxit, et supponendo voluntatem malam majus Adjutorium quàm *sine quo* postulavit. Hoc enim *agit Omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum* c. 21. *Per hanc fit ut sit homo voluntatis bonæ, qui prius fuit*

um tribui non poteſt *Adjutorio ſine quo*, tum quòd apud Auguſtinum ſupponit rectam ſanam, & valentem voluntatem: tum quòd eam indifferentem omninò reliquit.

De alio Gratiæ officio: cum jam bona voluntas eſt, & ad bonum operandum agitur: tractemus cum Auguſtino. Et quanquam ad hos actus bonos factos in Gratia ab homine juſto, Gratiâ tantum *ſine qua* ac minor eâ quæ eſt ad convertendum videatur ſatis eſſe, cum bonam ſupponat voluntatem, tamen ejuſmodi vult eſſe Auguſtinus, ut cauſa ſit operis boni principalis, movens agénſque ac ducens voluntatem: quæ ſemper ſequitur Gratiam ducem, ac præviam, à qua movetur & trahitur: unde merita quæ exiſtunt non humana ſint, ſed dona Dei, in quibus ac de quibus homo gloriari non poſſit, quæ ſunt notæ & ſigna *Adjutorij quo*. Itaque *non audeat homo*, inquit Auguſtinus c. 4. *quando benè vivit, & benè operatur, vel potius benè vivere ac benè operari ſibi videtur in ſe ipſo, ſed Domino gloriari*; & c. 6. *Quando cæperit homo habere merita bona, non debet ſibi tribuere illa, ſed Deo*: *Addita cauſa*: *Quia ſi derelictus fuerit, nihil boni valet ipſe per ſe*; & paulò poſt: *Dona ſua coronat Deus, non merita tua. Hæc enim ſi talia ſunt, mala ſunt*, & c. 7. *Si ergo*, infert, *Dei Dona ſunt merita tua, non Deus coronat merita ſua, tanquam merita tua*; ſed *tanquam Dona ſua*. Et c. 8. *Vita noſtra bona Chariſſimi, jam cum bonis & juſtis loquebatur nihil aliud eſt quàm Dei Gratia*.

Cauſam

Causam & radicem hujusce efficacis ex se & à Deo Gratiæ motionis, quæ Adjutorium *Quo* dicitur, inquirens Augustinus, etiam in homine jam sanctificato, refert ad necessitatem nostram, quia cum in mortali corpore concupiscentiæ & perturbationibus passionibúsque obnoxij simus, & voluntas nostra imbecilla sæpè ac infirma existat, necesse est à Gratia ita moveri, & agi, ut vincat internos illos hostes, à quibus, nisi ea ratione moveatur, planè vincetur. Quare cap. 17. *Qui vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam: poterit autem cùm magnam habuerit, & robustam. Quando enim Martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, magna charitate fecerunt.* Eant nunc isti solius Auxilii sine quo assertores, ac dicant aut nos semper habere validam voluntatem, aut certè invalidam nunquam habere, cum volumus; & nullam esse differentiam in nobis voluntatis & potestatis, sed cum eadem omninò oblata gratia, imo & parata tantum, semper efficaciter esse volituros. Nullâ factâ in auxilio mutatione, aut accessione, cum Augustinus contra sentiat & doceat, & nos manifestò in nobis experiamur voluntates languidas, ac remissas, infirmas, & parvas, quibus tantùm conamur, & desideramus, non tamen vincimus, & bene operamur. Multum certè interest inter velleitates, quas appellant, & imperfectas voluntates, quæ in medio conatu deficiunt: & inter illas quæ efficaces sunt & robustæ, & fortiter agunt ac invictè operantur. Unde apparet differentia gratiæ ad

Gratiam

ad Gratiam, cum ad illas velleitates sufficiat parva quidem excitatio, & motio, ad istas verò efficaces magno sit opus auxilio, & efficaci: nisi fortè velint ab illo parvo auxilio & efficaces oriri: quod quid est quàm auxilium accipere vires à voluntate? Quod sanè etsi tutum ac Semipelagianum & Arminianum non foret, est omninò impossibile, voluntatem, quæ supponitur infirma & invalida gratiæ vim ac virtutem tribuere. Unde Augustinus c. 15. *Qui voluerit, & non potuerit nondum se plenè velle cognoscat, & oret ut habeat tantam voluntatem quanta sufficit ad implenda mandata: sic quippe adjuvatur, ut faciat, quod jubetur: tunc enim utile est velle cum possumus: & tunc utile est posse cum volumus: nam quid prodest, si quod non possumus volumus, aut si quod possumus nolumus?* Jam apparet quid sit opus, scilicet Adjutorium Dei, quod ideò postulamus, quia non habemus: nam si haberemus, quid opus esset à Deo postulare? Pergit c. 16. *Ideo Deus jubet aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus.* & postea. *Certum est nos mandata servare, si volumus, sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit ut valendo faciamus*; ergo non quævis Gratia sufficit. *Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est quod paulò ante posui, quòd præparatur voluntas à Domino.* Quod autem de Martyribus adducit Augustinus, convincit virtutem maximam Gratiæ inesse: quæ secundùm occasiones ac difficultates crescit,

augeturque, atque pro magnitudine & præstantia actuum, ad quos debet præparare & excitare augetur. Quid est enim illud? *Martyres magna illa mandata fecerunt: magna voluntate, magna charitate fecerunt*, nisi docere iis majorem gratiam datam fuisse ad Martyrium subeundum: quàm alia, vel iisdem, vel aliis qui Martyres non sunt, ad minora peragenda data esset. Quod omninò consonum est ei quod dixit Lib. de Corrept. & Grat. c. 12. *Hoc sanctorum Martyria docuerunt*, & cætera quæ ibi de Gratia Martyribus collata diximus, & infrà dicemus: cum ad objectiones venerimus. Rationem quâ in nobis & nobiscum Deus operatur, tum parvo adjutorio in parva & infirma voluntate, tum magno in magna & robusta apud eundem eodem cap. 17. videamus. *Ipsam*, inquit, *Charitatem Apostolus Petrus nondum habuit, quando timore ter Dominum negavit: Timor enim non est in Charitate, sed perfecta Charitas foras mittit timorem: & tamen quamvis parva & imperfecta, non deerat quando dicebat Domino: Animam meam pro te ponam. Et quis istam, etsi parvam dare cœperat Charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem? & cooperando perficit quod operando incipit. Quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus: Certus sum quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu: ut ergo velimus sine nobis operatur: cum autem volumus & sic volumus: ut faciamus nobiscũ cooperatur; tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad hæc pietatis opera nihil valemus.*

valemus. De operante illo ut velimus dictum est: Deus est enim qui operatur in nobis & velle. De cooperante illo cum jam volumus, & volendo facimus, scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum *omnia cooperantur in bonum.* Q*uid est omnia? nisi & ipsas terribiles sævásque passiones?* Ubi non modo apparet Deum concurrere ad actus efficaces, quibus omninò robusti & invicti volumus: sed ad eos etiam quibus inefficaciter ac remissè volumus: ad utrosque juvari nos à Deo: sed diverso sanè modo juvari, atque adeò diversa adjutoria esse: adhuc cum existit operatio voluntatis: quod nos postea ad explicandas Auxiliorum differentias, quæ sufficientia & efficacia appellantur expendemus. Illud præterea ex hoc loco planè constat, Excitari nos gratiâ, & motus qui ab ea sunt *fieri in nobis sine nobis.* Ac ex ea Gratia provenire operationem liberam nostram, cui Deus cooperatur adjuvando. Ac esse hoc in loco Paradigma utriusque Gratiæ Excitantis et Adjuvantis præclarum.

Consentit huic de adjutorio *Quo* doctrinæ, illud quod ei perpetuo adnexum vult Augustinus; victoriam esse à Deo, uti c. 4. docet: *Victoria quâ peccatum vincimus, nihil est aliud, quàm Donum Dei in isto certamine adjuvantis liberum arbitrium.* Quod iterum ac tertiùm repetit: nec illud aliud desideratur: non omnium hujusmodi Auxilium esse: quemadmodum eodem cap. ait Augustinus *non omnes capiunt: loquitur* de Dono Pudicitiæ *verbum hoc, sed quibus datum est: quibus enim non est datum,*

aut nolunt, aut non implent quod volunt: quibus autem datum est ita volunt, ut impleant quod volunt. Tandem & illud vendicat: ex eo adjutorio fieri, ut homo cum rectè agit, ac vivit, non in se, sed in Domino gloriari debeat. Nam nisi ita motus ac ductus operaretur, aliquid esset in quo jactare se posset: quod profectò non licet. Unde initio Cap. 4. cum multa pro affirmanda humani arbitrij libertate testimonia adduxisset: *Sed metuendum,* inquit, *est, nè ista omnia Divina testimonia & quæcunque alià sunt in defensione liberi arbitrij sic intelligantur, ut ad vitam piam & bonam conversationem cui merces æterna debetur, Adjutorio ei gratiæ Dei locus non relinquatur, & audeat miser homo quando benè vivit & benè operatur, ut potius benè vivere & benè operari sibi videtur, in se ipso, non in Domino gloriari.*



CAP. XVII.

Ex aliis locis hinc inde Collectis eadem adjutoriorum diversitas statuitur.

BReviter ac properantis more locos citabo, & ad traditam doctrinam referendo confirmabo. Primùm, & Statum primi hominis intueamur. Lib. 1. de libero arbitrio c. 11. in fine. *Quanquam credamus hominem tam perfectè conditum à Deo, & in beata vita constitutum, ut ad ærumnas mortalis vitæ inde ipse propria voluntate delapsus sit.* Et l. 1. contra Julian. imperf. *Adam Deo suo à quo erat conditus rectus, nullo prorsus vitio depravatus astabat.* Idem habet fol. 96. c. 1. 97. & c. 6. libro De Gen. ad Litter. c. 20. *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei quia & ipsa natura scilicet vis intellectualis est, sicut & illa lux: & propterea hoc est ei fieri quod est agnoscere verbum Dei*; & addit: *Ita in ipsa agnitione creatus est antequam delicto veterasceret, unde rursus in eadem agnitione renovatur.* In Enchir. c. 17. Factus est homo rectus. et c. 104. *Etiam primum hominem Deus in ea salute in qua conditus erat.* c.9. Deinde liberum ejus arbitrium cum integra in utramque partem potestate, & in arce quadã dominii constitutum consideremus:

Concione 1. in Pſal. 70. *Feciſti hominem, dediſti ei liberum arbitrium, in Paradiſo collocaſti.* In Enchir. c. 25. *Sic eum munerans libero arbitrio, ut tamen regeret imperio, terreret exitio*; & c. 106. *Sic oportebat priùs hominem fieri, ut & benè velle poſſet & malè.* Et lib. 3. de lib. arbitrio. c. 5. *Poteſtatem utrum vellent dedit.* lib. 2. oper. imperf. fol. 226. *Ad bonum opus liberum Adam condidit.* Et in Pſal. 17. *Quid illi deerat niſi quia ſua poteſtate uti voluit? præceptum rumpere delectavit: ut nullo ſibi dominante fieret ſicut Deus.* Serm. 2., de verbis Apoſt. *Magnas arbitrij liberi vires homo cum conderetur accepit, ſed peccando amiſit.* lib. 3. de lib. arb. c. 19. *Ipſam naturam aliter dicimus cum propriè loquimur, naturam hominis, in qua primùm in ſuo genere inculpabilis factus eſt, aliter vitam in qua ex illius damnati pœna & mortales & ignari & carnis ſubditi naſcimur.* lib. 1. Retract. c. 10. *Poſſunt quærere ſimilem latebram, niſi hoc dictum ad naturam talem referatur, qualis ſine vitio primitùs condita eſt* lib. 11. de Geneſi ad Litt. 2. 4. *Cum in natura poſſe, & in poteſtate haberet velle.* Serm. 34. de Divers. c. 2. *Vt ſubderetur Diabolo ſeductori fuit in ejus libero arbitrio, quo ad inferiora declinando ſuperiora deſeruit. Et conſtitutis inter præceptorem & ſeductorem, magis ſeductori, quàm præceptori obtemperare elegit.*

De neceſſitate Adjutorij Gratiæ in hoc ſtatu & in hac ſumma libertate Arbitrij: in Enchir. c 106. *Et ſi peccatum in ſolo libero arbitrio erat conſtitutum, non tamen juſtitiæ retinendæ ſufficiebat liberum arbitrium,*

niſi

nisi participatione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur. Ac iterùm *ut ab eo teneretur vita justitiæ, parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat adjuvaret;* & c. 107. *Sic ergo factus est homo rectus, ut & manere in ea rectitudine posset non sine adjutorio Divino, & suo fieri perversus arbitrio: & utrumlibet horum elegisset, Dei voluntas fieret, aut etiam ab illo, aut certè de illo.* lib. 11. de Gene. Ad Litter. *Cum in natura posse, & in potestate haberet velle, & non consentire suadenti, adjuvante tamen illo, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et Sermo 34. de divers. c. 3. *Deus medicus: opus etiam sanis, ut sanitas ipsa tueatur.* Et lib. 14. de Civit. c. 27. *Bene vivere sine Adjutorio* Dei, *etiam in Paradiso non erat in hominis potestate.* Et Epist. 106 *Natura humana etiamsi in illa integritate, in qua condita est permaneret, nullo modo se ipsam Creatore suo non adjuvante servaret.* Et tandem in Enchir. *Hanc est acceptura per gratiam, quam fuerat, si non peccâsset, acceptura per meritum: quamvis sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset.*

Jam verò ad differentiam Adjutorij dati in statu naturæ lapsæ, ejusque virtutem & efficaciam accedamus, ac illud non esse tantum *sine quo* sed *Quo* monstremus. Ac primum de eo Generaliter Epist. 202. *Deus hæc omnia quibus animus humanus divinæ societati ad inhabitandam æternam cælestemque civitatem instituitur, & aptatur, non solum jubet aggredienda, verum etiam donat implenda.* Hac notâ afficit Augustinus Adjutorium *Quo* lib. 2. contra Julianum oper. imperf. fol. 402. *Profecto benè vivere apparebit:*

rebit opus esse Divinum. lib. de Dono Persever. c. ult. *Satis docuisse me existimo Dona Dei esse & incipere in Dominum credere, et usque in finem in Domino permanere. Cætera verò ad vitam piam qua Deus rectè. Colitur pertinentia etiam ipsi propter quos hæc agimus Dei dona esse concedunt.* Eâdem ratione lib. de gest. Pelag. c. 25. Gratiæ tribuit in operando victoriam : *Ut vincat iram, tandem aliquando postulat gratiam, ut veram consequatur illo adjuvante victoriam.* Et tract. 85. in Joan. *Ab ipso quicquid boni est donatur.* Ergo *quia hoc bonum est, ab ipso utique donatur : ut sciatur à quo bonum omne donetur, ut omninò de Omnibus bonis qui gloriatur, in Domino glorietur* : Illa etiam ejusdem Adjutorii nota est lib. 2. oper. Imperf. contra Julian. fol. 336. *Non ut nolentes credant, quod absurdissimè dicitur, sed ut volentes ex nolentibus fiant : non sicut facit doctor homo docendo & hortando, minando & promittendo in sermone Dei, quod frustra sit nisi Deus intus operetur & velle per investigabiles vias suas. Cum enim verbis doctor plantat & rigat; possumus dicere fortè credit auditor, cum verò dat incrementum Deus, sine dubio credit & profert.* Homilia item. 14. loquens de Patientia dicit : *In Patientia vestra, sed unde vestra ? Nostrum est quod à nobis habetur, nostrum est, & quod nobis donatur. Patientia mea ab ipso est. Tuum fecit donando : noli ingratus esse tibi assignando.* Ille autem præclarus & illustris est locus, in quo Augustinus formam Adjutorii *Quo* contra Pelagium disertè proponit lib. de gest. Pelag. c. 3. qui sanè observandus est, Dixerat

Pelagius

Pelagius *Omnes propria voluntate regi.* Eum hoc modo refutat Augustinus. *Procul dubio plus est agi, quàm regi. Qui enim regitur aliquid agit, & à Deo regitur ut rectè agat. Qui autem agitur agere aliquid ipse vix intelligitur. Et tamen tantum præstat voluntatibus nostris Gratia salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere. Quotquot spiritu Dei aguntur hi Filii Dei sunt. Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quàm ut illi se agenda commendet, qui malè agere non potest: & hoc cùm fecerit ab illo se ut faciat adjutam non dubitet, cui dicitur in Psalmo, Deus meus misericordia ejus præveniet me.* Tria in hoc loco sunt quæ rem continent.

Primùm error Pelagij; *Omnes propriâ voluntate regi* aientis, quo Gratiæ *A*djutorium omnino excludebat: secundum: doctrina Augustini de Adjutorio *sine quo* significato per id quod est regi à Deo; et de Adjutorio *Quo* significato per id quod est *Agi à Deo.* Tertium: germana utriusque natura, et inter utramque differentia. Primum opus non est probare. Secundum monstro. *Quià regi à Deo* per gratiam tribuitur ab Augustino Adamo in statu Innocentiæ: in quo erat Adjutorium *sine quo.* Patet ex loco Enchir. c. 25. *Sic eum*, inquit, *munerans libero arbitrio, ut tamen regeret imperio, terreret exitio.* Nam cùm liberum arbitrium posuisset: gratiam ad bene operandum adhibere voluit: eam autem in *regendo* collocavit: & ideò *regebat* ut *rectè ageret*: nec enim uti suprà diximus ex Augustino sine Gratia agere rectè quicquam posset. Id verò erat *A*djutorium

torium *ſine quo*, quod etſi non donabat rectè agere, quòd erat relictum integro arbitrio voluntatis, juvabat tamen ad agendum rectè. Unde ſerm. 11. de verb. Apoſtoli. *Regebat eum ipſe qui fecerat*; applicat *Adjuvanti Deo* verbum *Règendi*. Eſſe autē illud *Regimen* Adjutorium Gratiæ probatur: quia ſtatim Auguſtinus loquitur de Adamo deſerente Deum ac Deo deſerente ipſum: quod non niſi ad Gratiam pertinet, & loco, quem adduximus de geſtis Pelagij verbum *Regendi* *A*uguſtinus continere regimen Gratiæ docuit: nam idcircò exhorruit Phraſin Pelagij. *Omnes propriá voluntate regi*, & ſtatim adjecit: *Præſtat hoc Deus illis quos ſubditos regit: non autem illis, qui ſe idoneos ad regendum putant, & præfidenti cervice propriæ voluntatis ipſum dedignantur habere rectorem*, & mox *Filij Dei qui hæc noverunt: & ſe Dei ſpiritu regi & agi gratulantur.* & paulo ante dixerat: *Non viribus propriæ voluntatis reguntur & aguntur Filij Dei.* Hâc item ratione dixit in *Pſal.* 44. ad finem, *Protegit nos quia Deus eſt: nè moriamur: regit nos quia Rex eſt nè cadamus, regendo autem non frangit nos: nam quos non regit, frangit.* Adjutorium *Quo* manifeſtè ſignificat per illud *Agi à Deo*, quod opus non eſt probare, cum & per ſe notum, & in Auguſtino obvium ſit. Cum præſertim hic non aliud quam Adjutorium *Quo* omninò diſtinctum ab Adjutorio *ſine quo* ſignificet; nam hîc utrunque diſtinguitur, cum de primo quod *Regendo* datur dicat Auguſtinus *Aliquid agere eum qui regitur;* quod facilè

facile ſit agnoſcere operari cum eo arbitrium, ac illud in opus adducere: de ſecundo vero affirmat difficillimè cognoſci *aliquid agere* eum qui agitur, quod quanquam agat, cum motus et tractus agat à Gratia Efficaci vix deprehendi poteſt quid arbitrio ſuo agat. Ac in hoc eſſe ſitam differentiam utriuſque Adjutorij cùm ſuprà diximus ex Auguſtino, tum infrà ex eodem dicemus. Atque hæc de teſtimoniis Auguſtini in aliis libris ſint ſatis. Unum lentius quod luculentiſſimum eſt ex variis conflatum locis expendamus, eoque inſpecto librum iſtum abſolvamus.



CAP. XVIII.

Ex Libris de Civitate Dei variis adductis, & collatis locis tota hujuſmodi de Adjutoriis exactiſsimè doctrina probatur.

TAm fuſè ac nitidè quicquid, ad hanc rem pertinet, Auguſtinus tractavit, ut mihi multa dicendi facultatem abſtulerit. Quare referam potius, quàm interpretabor Auguſtini ſententiam. Ac primùm quòd Angelorum conditio, ſtatuſque conditorum quemadmodum Theologi Scholaſtici vocant *in via* ſimilis omnino fuit authore Auguſtino Adami ante caſum conditioni & ſtatui, ut eadem utriuſque quoad Adjutorium & meritum habenda ſit ratio, uti conſtat ex ſuperiore capitali ad locorum de Corrept. & Gratia expoſitione, operæ pretium fuerit ab Angelis incipere. Igitur Auguſtinus lib 11. c. 11. *Angeli ſimul & facti ſunt, Lux facti ſunt: non tamen ità tantum creati, ut quoquo modo eſſent, & quoquo modo viverent, ſed etiam illuminati, ut ſapienter beatèque viverent.* Quod perinde eſt

eſt; ac dicere, quod aiunt Scholaſtici. *Creatos eſſe in Gratia.* Idem etſi ſpinoſiùs tradit lib.12. c. 9. nam inter quæſtionum nodos, quas excitat, ſtatuit Angelos in bona voluntate, & cum bona voluntate conditos fuiſſe. Itaque diſputans de cauſa bonæ voluntatis Angelorum, ait, *Si dixerimus nullam eſſe efficientem cauſam voluntatis bonæ, cavendum eſt ne voluntas bona bonorum Angelorum non facta, ſed Deo coæterna eſſe videatur. Cum enim ipſi facti ſint, quomodo non illa eſſe facta dicetur? Porro quia facta eſt, etiam cum ipſis facta eſt, an ſimilia fuerunt prius? Sed ſi cum ipſis, non dubium quod ab illo facta ſit, à quo & ipſi: ſimulque ut facti ſunt ei à quo facti ſunt, amore quo cum facti ſunt adhæſerunt.* Satis hoc ſit ad rem noſtram: nec ulterius cum Auguſtino ire argumentando volumus, cùm jam hinc pateat Angelos in bona voluntate, imo & Charitate conditos, quam non niſi à Deo accepiſſe probare contendit Auguſtinus, cujus ea erat mens monſtrare, non naturâ ſua, & ex ſe ipſis bonos, ſed Dei dono fuiſſe. Unde ſic ratiocinationem denſiſſimam concludit. *Si boni Angeli ipſi in ſe fecerunt voluntatem bonam, utrum aliquâ, eam, an nullâ voluntate fecerunt? Si nullâ; utique nec fecerunt. Si aliquâ; utrum malâ an bonâ? Si malâ, quomodo potuit eſſe mala voluntas bonæ voluntatis effectrix? Si bona, jam ergo habebant. Et iſtam quis fecerat, niſi ille, qui eos cum bona voluntate, id eſt, cum amore caſto, quo illi adhærent, creavit, ſimul in illis & condens noturam, & largiens gratiam.* Perſpicuè loquitur, & idem vrget uſque ad finem capitis: contra Manichaos diſputans,

tans, ſed & alia contra Pelagianos ſuppeditans. Nec cap. 13. lib. 11. non eandem ſententiam, ſed obſcurius aliquantò, & brevius inculcat. Cætera colligamus.

Ac deinde: Utrum aliquâ differentiâ ſint in ea gratiâ & Charitate conditi videamus. Eſt enim hîc mens Auguſtini diſputando implicatior. Incipit is. *Antequam peccaſſent quatenus illius fuerint ſapientiæ participes definire quis poteſt?* Dubitat ergo Auguſtinus, & ſanè ſemper ut ambigens loquitur. Duo autem inquirit; alterum utrum omnes Angeli tum qui ſteterũt, tum qui ceciderũt præſciverint, non fore aut fore caſuros? quod ad ſcientiã & intellectũ pertinet. Alterum: Utrum pares in accepta Gratià fuerint: nec unus alio magis acceperit? Quoad primum & hoc cap. 11. & 13. ejuſdem libri ambiguum ſe oſtendit: in eo certum, non accepiſſe Angelos caſuros præſcientiam perſeverantiæ, quam non habuerunt. Utrum alii acceperint, iſtis non accipientibus? de eo eſt quod dubitat, verum vidètur inclinaré magis ad ſententiam, quæ ſtatuit neutros præſciſſe quid futurum eſſet, atque adeo pares hac in re creatos: nec opus eſt hoc lentius examinare. Tantum dico Auguſtinũ videri propendere eò, ut dicat Angelos ſtantes bene agendo meruiſſe, & perſeverantiã & præſcientiũ perſeverãtiæ in ſtatu beato: ut ea certitudo fructus fuerit meriti, non prærogativa conditionis. Id cùm ex aliis quæ poſtea afferemus, tum ex eo conjicio, quod c. 13. Auguſtinus *durum* videri poſſe ait, ſi impares in hac præſcientia facti ſint: & certè *durum*

non

non dicit credere omnes pares creatos, quod attinet ad præſcientiam futuri ſtatus, vel caſus. Si tamen alios conſulamus locos, ille author eſt: Angelos bonos non præſciſſe perſeverantiam ſuam cùm conditi ſint, ſed eam pro præmio accepiſſe: ſic enim perſpicuè lib. 22. cap. 1. *Qui* Deus *caſum Angelorum voluntarium juſtiſſima pœna ſempiternæ infelicitatis obſtrinxit, atque in eo ſummo bono permanentibus cæteris, ut de ſua ſine fine permanſione certi eſſent, tanquam ipſius præmium permanſionis dedit.*

Quoad alterum: etiam dubium ſe Auguſtinus oſtendit: nec definit utrum omnes parem Gratiam acceperint? Vult quidem omnes in Gratia conditos; an vero hæc æqualiter omnibus data fuerit? in dubio ponit: nam cum videret quoſdam cecidiſſe, de his quærit: An minorem acceperint gratiam, quam qui ſteterunt? ſic enim lib. 12. c. 8. poſt longam diſputationem, *Iſti autem qui cum boni creati eſſent, tamen mali ſunt malâ propriâ voluntate, quam bona natura non fecit, niſi cum à bono ſponte defecit, ut mali cauſa non ſit bonum, ſed defectus à bono, aut minorem acceperunt Divini amoris gratiam, quàm illi qui in eadem perſtiterunt: aut ſi utrique boni æqualiter creati ſunt iſtis malâ voluntate cadentibus, &c.* Ecce duos modos ponit; & eos in medio relinquit, ceu alterutrius optionem faceret opinanti. Verum ex his duobus conjecturis apparet Auguſtinum elegiſſe poſteriorem paris gratiæ, quod exactè præſtandum modo, etſi in objectionibus poſtea ſecundo libro adducendis latiùs & explicatiùs id tradituri ſumus.

Ac

Ac primum leviter Probatur ex eo quod illud *Durum* etiam quadret in Gratiæ inæqualitatem, ſicut ex ratiocinatione ibi factâ colligitur. Deinde, quòd ſemper ait *malos ſua voluntate, ſuâ pravitate cecidiſſe*, uti c. 13. l. 11. partem Angelorum cadentem *perverſam voluntate dicit*, c. 33. ejuſd. lib. Et præcipuè lib. 12. c. 9. affirmat: *bonos in bona voluntate manſiſſe, malos ab ea deficiendo mutatos, mala ſcilicet voluntate.* Quod item paulo poſt repetit bis in ſententia proximè à nobis adducta. Ex qua etiam conſtat Angelos bonos voluntate ſtetiſſe. Quòd certè *A*uguſtinus non diceret, ſi boni majorem ad ſtandum Gratiam accepiſſent.

Accedit: quòd eſt modus loquendi de Angelis bonis qui nulla ratione poteſt cum eo ſenſu congruere. *Nam ſi boni*, inquit, *Angeli ipſi in ſe fecerunt voluntatem bonam*: modus iſte dicendi indicat Angelos per proprium arbitrium cum *Adjutorio ſine quo* ſtetiſſe. Addit. *Si bona voluntas effectrix fuit bonæ voluntatis. Jam ergo habebant. Et iſtam quis fecerat niſi Deus?* Partitur utramque voluntatem bonam: in qua conditi ſunt, & qua cum ſteterunt. Illam dicit fuiſſe à Deo: hanc ipſos effeciſſe; quod argumentum, eſt ſenſiſſe: eos libero arbitrio cum *Adjutorio ſine quo* feciſſe: atque adeo parem, non majorem quam alios gratiam accepiſſe.

*A*lia eſt item conjectura & quidem idonea. Nam *A*uguſtinus ità de caſu malorum loquitur ut videatur ſentire, eos adjutos æqualiter cum aliis fuiſſe. Sic enim c. 9. lib. 12. *Eòque ſunt ab illorum ſocie-*

tate

tate discreti, quòd hi in eadem bona voluntate manse- runt, illi ab ea deficiendo mutati sunt: malà scilicet voluntate, hoc ipsò quòd à bono defecerunt, à quo non defecissent, si utique voluissent. Hac ratione solet explicare Augustinus naturam Adjutorij Adamo integro dati, atque adeò liberi potestatem arbitrij, æquâ lance in apice libertatis constituti cum Adjutorio *sine quo.* Quod si erat *A*ngelis malis potens ad utrunque, vel ad standum si vellent, vel ad cadendum, certè sufficiens datum erat, nec aliud Angelis bonis, majus unquam eo, Augustinus concessit: An vero intra limites *Adjutorij sine quo* possit dari magis aut minus? suo loco ventilemus. Hujusmodi autem potestatem sufficientem in utramque partem proponit, lib. 22. c. 1. *Qui* Deus *liberum arbitrium eidem intellectuali naturæ tribuit, tale ut si vellet deserere Deum, beatitudinem scilicet suam, continuò miseria esset secutura. Qui cum præsciret Angelos desertores futuros, non eis ademit hanc potestatem.* Et lib. 14. c. 27. *meritum malum pravorum Angelorum malæ voluntati attribuit, & ob eam obstinatos & obduratos Angelos, ut jam bonam voluntatem non haberent.* Verum utcunque hoc loco & cæteris hujus libri Augustinus sentiat, in lib. de Corrept. & Grat. c. 10. perspicuè docet *A*ngelos omnes in prima sua conditione, parem gratiam accepisse, ejusdem rationis cum *A*djutorio *A*dami, quemadmodum suprà diximus, & rursum ad objecta (nam quædam ex his locis & aliis nunc prætermittimus) respondentes dicemus.

Sed ad id quod proprium est redeamus, id est ad Primi hominis Adjutorium. Catenam ex variis Augustini sententiis contexamus. Statum Adæ proponit lib 14. cap. 10. & 15. *Hominem* Deus *in Paradiso constituerat. Res ei facilis imperata : quicquid non poterat, non volebat, & poterat omnia, quæ volebat : magna erat non peccandi facilitas.* Et cap. 26. *Vivebat sicut volebat, quamdiu volebat quod Deus jusserat, vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas. Gaudium verum perpetuabatur ex Deo in quem flagrabat Charitas ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Idem dixerat eleganter. c. 10. *Amor imperturbatus in Deum, & ex amore gaudium. Erat devitatio tranquilla peccati, nullum malum quod contristaret irruebat : nullis agitabantur perturbationibus animorum.* Itaque Constat in Gratia & Charitate conditum Adamum, in statu quodam beato instar Angelorum ac, omninò hos locos locis de Corrept. & Grat. respondere. Nunc appareat Adjutorium *sine quo* proprium hujusce integritatis. Igitur ejusdem libri cap. 27. *Homo rectus, hoc est bonæ voluntatis creatus fuerat, sic institutus, ut si de Adjutorio Dei fideret, bonus homo malum angelum vinceret, si autem Creatorem desereret, vinceretur.* Hactenus status descriptio. Incidere oportet sententias : quoniam hic locus omnia continet, & secta magis membra ad inspiciendum corpus sententiæ totum juvabunt. Ad meritum transit. *Meritum bonum habens in adjuta divinitùs voluntate recta, malum vero in deserente* Deum *voluntate perversa,*

perversa, quia & ipsum fidere de Adjutorio Dei, non quidem posset sine Adjutorio Dei. Jam de Adjutorio *sine quo* incipit agere, quod proprium ejus status. Indicat illud eâ particulâ: *Non posset sine adjutorio Dei.* Pergit: *nec tamen ideo ab his Divinæ Gratiæ beneficiis sibi placendo, recedere non habebat in potestate.* Proponit ejusdem hominis indifferentem ad utrunque potestatem. Jam exponit naturam Adjutorij *sine quo* eadem ratione, imo & eodem exemplo, quo libro de Corrept. & Gratia postea exposuit; *Nam sicut in hac carne vivere sine adjumentis alimentorum in potestate non est, non autem in ea vivere in potestate est: quod faciunt, qui seipsos necant, ita bene vivere sine Adjutorio Dei, etiam in Paradiso non erat in potestate, erat autem in potestate malè vivere, sed beatitudine non permansurâ, & pœnâ justissimâ secuturâ.* Ecce Adjutorium *sine quo* iisdem expressum coloribus, quibus antea ex libro de Corrept. & Gratia pictum dedimus, ut hoc loco ad alium videatur Augustinus prælusisse: non adjecit *Adjutorium Quo.* Hîc quippe locus non erat, nisi ei quod status erectæ naturæ congruebat: ac extra Paradisum sermo non evagabatur. Sed ex hujus natura Auxilij apparet, quid de alterius virtute Augustinus sentiret. Cùm præsertim addiderit nonnulla quibus mens ejus deprehendatur. Subjicit enim: *Nihilominus præsciens Deus, quòd ab ejus semine adjuto sua Gratia idem ipse Diabolus fuerat post casum scilicet sanctorum gloria majore vincendus.* Quod *Gratiam* hic dixerit, quum antea Adjutorium dixisset,

oſtendit alterius eſſe rationis Auxilium. Cum autem adjunxit *Gloria majore* ſignificavit majora Gratiæ præſidia, quibus major illa gloria deberetur. Etſi enim videatur major gloria Diabolum vincere cum ſolo illo *A*djutorio *ſine quo*, tamen non credit Auguſtinus fore, ut eo Diabolus ab homine lapſo vinceretur, qui ab integro victus non fuerat. Quod ſæpe declarat Auguſtinus. Unde ſuprà c. 15. exaggerat peccatum Adami, quòd in tanta ſit pace, ac beatitate commiſſum ubi *tanta*, inquit, *erat non peccandi facilitas. Quis enim ſatis explicet quantum malum ſit non obedire in re facili & tantæ poteſtatis imperio, & tanto terrente ſupplicio?*

Jam vero miſerias & difficultates invectas per peccatum in ſtatum ruinæ, nemo melius Auguſtino hiſce libris expoſuit. Ex quo neceſſitas Adjutorii majoris, id eſt *Quo*, planè colligitur, ut par eſſe natura poſſet ad hoſtes undique oppugnantes vincendos. Hoc enim ſolet aſſumere Auguſtinus fundamentum, ad majus fortiuſque auxilium aſſerendum. *Nam quæ hominis eſt* inquit *alia miſeria niſi adverſus eum ipſum in obedientia ejus ipſius, ut quoniam noluit quod potuit, quod non poteſt, velit? Quis enumeret quàm multa quæ non poteſt velit, dum ſibi ipſi id eſt voluntati ejus ipſe animus ejus, eoque inferior caro non obtemperet? ipſo namque invito & animus plerunque turbatur, & caro dolet, & veteraſcit, & moritur, & quicquid aliud patimur, quod non pateremur inviti, ſi voluntati noſtræ noſtra natura omnimodo, atque ex omnibus partibus obediret?* Idem proſequitur c. 25. & 26. Sed præclarè Lib. 21. c. 15.

con-

conferens miſeriam hominis lapſi, cum integri felicitate. *Hoc autem* partium interſe animi *bellum, nunquam ullum eſſet, ſi natura humana per liberum arbitrium in rectitudine, in qua facta eſt, perſtitiſſet. Nunc verò quæ pacem fœlix cum Deo habere noluit ſecum pugnat infelix.* Huc ſpectant nonnulla ex l. 14. c. 1. & 10. & 11. & cap. 1. lib. 22. Nuſquam tamen latiùs & luculentiùs quàm cap. 22. & 23. & 24. ejuſdem libri. Ex quibus nihil volo afferre, quòd tot ſunt & tam apta, ut neceſſe ſit, integra penè transferre. Quorſum verò iſta! niſi ut inferat Auguſtinus cap. 22. *Ab hujus tam miſeræ quaſi quibuſdam inferis vitæ, non liberat niſi Gratia Salvatoris Chriſti Dei ac Domini noſtri? In his malis adjuvat Gratia, ut quanto fideliore, tanto fortiore corde tolerentur.* Et c. 23. *Gratias autem Deo qui dat nobis Victoriam per Dominum noſtrum* JESUM CHRISTUM. Ut ea ſcilicet repararetur, ut ait c. 1. l. 14. *in deterius mutata natura.*

Cujuſmodi autem ea Gratia fuerit, & quàm ab illa primi ſtatus diverſa, patet ex modo loquendi Auguſtini de merito & reparatione hominis lapſi c. 26. lib. 14. ubi uſurpat eaſdem ſententias, quas ſolet adducere ad probandã differentiã utriuſque Adjutorij. Sic enim: *Non eos jam meritis, quandoquidem univerſa maſſa tanquam in vitiata radice damnata eſt, ſed Gratiâ diſcernens, & liberatis non ſolum de ſe ipſis, verumetiam de non liberatis, quid eis largiatur oſtendens. Meritis diſcretos* appellat qui Adamo integro ſimiles cum ſolo Adjutorio *ſine quo* operarentur: nam libero eorum arbitrio merita tribuerentur, quod

sæpe Augustinus repetit. Hujusmodi esset Adamus si perseveraret, & Angeli boni fuerunt prædestinati meritis propriis, ac secundùm ea discreti: aliter ac homines in statu ruinæ merentur, & longè alia ratione prædestinati sunt, cum non arbitrio sed gratiâ discreti sint, qua in eis operante merentur, ipsâ & antecedente, & cooperante, ut eâ moti ductique, intra libertatem tamen, operentur. *Quandoquidem in eis*, inquit Augustinus, *& ex eis Deus quid eorum culpa mereretur, & quid sua gratiâ mereretur voluit ostendere.* Ibidem. Unde constat interesse id inter merita cum Adjutoriò *sine quo*, & merita cum Adjutorio *quo*, quòd illa humana arbitrio tributa, hæc dona Dei ad eum relata habeantur. Hujus virtutis Gratiæ nota est, quam Augustinus affert c. 6. l. 15. *Si Deus ipse non interiore gratiâ mentem regat, atque agat, nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis.* Hâc sanè discernitur Adjutorium *quo* ab Adjutorio *sine quo*, nec enim isto mens agebatur, & regebatur, uti ex illius definitione & Paradigmate constat. Eodem spectat illa ejusdem capitis sententia. *Spiritus sanctus operatur intrinsecùs, ut valeat aliquid medicina, quæ operatur extrinsecùs.* Unde priorem illam, quam ego præposterè posui, Augustinus deducit. Confirmat alia celebris Augustini phrasis cum Apostoli loco conjuncta c. 1. lib. 22. *Dicitur voluntas Dei quam facit in cordibus obedientium mandatis ejus: de qua dicit Apostolus: Deus est qui operatur in nobis & velle.* Notissimus est hic modus loquendi legentibus Augustinum, cum de Adjutorio *Quo* agit.

Quam hoc eodem cap. ſæpe inculcat.


Jam verò quod tradit c. 23. lib. 22. de victoria, quam juſti de peccato conſequuntur, eidem doctrinæ ſuffragantur: *Nec in hoc bello*, inquit, *vel de viribus noſtris ſperetur facienda victoria, ſed de ejus Gratia: de quo ait Apoſtolus: Gratias autem Deo qui dat nobis victoriam per* JESUM CHRISTUM. Redolet *A*uguſtini mentem hujuſmodi ſententia qua nos docet *nihil in nobis eſſe gloriandum.* Quo ſolet ex Cypriano deſumpto hujus modi ratiocinationem claudere. Et nos iſtam quoque loco *A*uguſtini illuſtri ex c. ult. lib. ultimi petito omnino ſimili ei, qui extremus eſt c. 12. lib. de Corrept. & Gratia, coronemus. *Primum liberum arbitrium quod homini datum eſt, quando primum creatus eſt rectus, potuerit non peccare, ſed potuit & peccare: hoc autem noviſſimum, id eſt Beatorum, eò potentius erit, quo peccare non poterit. Servandi autem gradus erant Divini muneris, ut primum daretur liberum quo non peccare poſſet homo: noviſſimum quo peccare non poſſet: atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret. Sed quia peccavit iſta natura* (hoc rem maximè continet) *cum peccare potuit, largiore Gratia liberatur, ut ad eam perducatur libertatem, in qua peccare non poſſit* Sicut enim prima immortalis fuit, quam peccando *A*dam *perdidit, poſſe non mori: noviſſima erit, non poſſe mori, ita primum librum arbitrium poſſe non peccare, noviſſimum non poſſe peccare. Sic erit inamiſſibilis voluntas pietatis & æquitatis, quomodo eſt fœlicitatis, nam utique peccando, nec pietatem, nec felicitatem tenuimus,*

voluntatem

voluntatem verò felicitatis nec perdita felicitate perdidimus. Hæc Coronis impoſita eſt ab *A*uguſtino doctrinæ his libris traditæ. Et ſanè ex tot locis eum ſenſum conflavimus, quem geminum alterius redacti ex capitibus libri de Corrept. & Gratia dixerim, niſi quòd ſimul editi non ſunt: cum hi libri priuſquam ille lucem viderint. Cætera germani, imo & gemini ſunt, adeò ut quod ille alius de duobus Eloquentiæ Principibus præclarè, ego non ineptè de duobus illuſtribus locis uſurpem : hunc de Civitate *D*ei illi de de Corrept. & Grat. eripuiſſe, nè eſſet primus, illum huic nè eſſet ſolus. Tam ex integro illi conſentiunt : tam ſe indiſcreta ſimilitudine mutuò repræſentant.



FINIS



Libri II.